

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

DE

C. SALLUSTI CRISPI CODICIBUS RECENSENDIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

EBERHARDO-CAROLINA TUBINGENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

AEMILIUS BRENTANO , Emil W. H.

MOENO-FRANCOFURTENSIS.

FRANCOFURTI.

TYPIS EXPRESSIT H. L. BROENNER.

MDCCCLXIV.

Cum priores Sallusti editores in magna librorum manu scriptorum copia certo consilio ac ratione, qua libros recenserent, plerumque caruissent, primum Rothium (in mus. philol. IX p. 129) obscurae huic atque inconditae rei lucem attulisse constat. Is enim profectus a tribus gravibus lacunis quas in multis libris extare intellexerat et eae quidem Iu. 21, 4 *de controversiis suis iure potius quam bello disceptare*; — Iu. 44, 5 *neque muniebantur ea*; — Iu. 103, 2 *ex omni copia* — 112, 3 *pacem vellet*, omnes quos habemus libros in tres partes divisit. Ac primum quidem genus constituit eos qui tribus illis lacunis laborant neque infra XI vel XII saec. exarati sunt, alterum in quibus verba inde ab Iu. 103, 2 usque ad 112, 3 suppleta sunt, tertium ex nonnullis recentissimis libris secundi generis conligere conatus est, in quibus vel verba illa Iu. 44, 5 vel Iu. 21, 4 extarent. Quorum generum quo quidque minus lacunis turpatum sit, eo vetustiorem originem ei vindicandam esse statuit. Sed iam in commentariolo ad idem vol. mus. philol. adiecto (p. 630 sq.) nonnulla quae de singulis libris disseruerat ita correxit ac certiora reddidit, ut ipse, tertio illo librorum genere quod paulo ante creaverat dissoluto ac dirempto, in hac constiterit sententia: ‚jenem Sachverhalt zufolge müsse eine durchgreifende Gliederung der Sallusthandschriften noch ausgestellt bleiben.‘

Proximus post Rothium in pervestigandis Sallusti codicibus accurate ac diligenter versatus est Dietschius (in ed. Lips. Teubn. 1859 II vol.), qui cum priorem tantum partem sententiae

Rothi secutus sit, ita in comment. p. 15 de ea re disputavit: ‚Haec igitur mea sententia est, ex archetypo cum excidissent nonnulla folia, primi generis libros conscriptos esse, tum cum folia illa reperta essent, alterum genus natum esse, postremo ex margine verba illa tria Iu. 44, 5 in textum scriptoris recepta esse.‘ At quanquam ipse in paucis illis quae ad confirmandam hanc sententiam adiecerat singulari codicum notitia usus est atque huic summae disputationis suae: ‚illud concedendum erit, recentiorum codicum testimonia adversus vetustiores nihil valere‘ quicunque penitus Sallustianorum librorum silvam intraverit, libenter adsentiet, tamen hoc fortasse desiderandum erat, ut cum ipse confecto illo apparatu critico qui vocatur, admirabilis diligentiae et sedulitatis opere, totam hanc difficilem provinciam plane sui iuris fecisset, certa quaedam argumenta et ratione conlecta statim sententiae suae adiceret, quibus aliis doctis viris facilius comprobaretur. Aliter enim fieri non potuit, ut paulo post v. d. Woelfflinus (in Philologi vol. XVII p. 533) novam de origine generum librorum sententiam quae media esset inter Dietschium et Rothium in lucem proferret quaeque his fere verbis continetur: saec. X vel XI non solum folia illa archetypi quae antea excidissent reperta esse, sed novum quoque et integrum codicem, diversam quidem ab illo altero originem ducentem, sed tamen non multum ab eo discrepantem, ex quo recentiores libri derivati essent. Qua in sententia ut iam duplex illud inventum, ut ita dicam, vix ferri posse videtur, cum multo probabilius ac simplicius fuerit, omissis illis foliis hoc statuere: reperto novo atque integro archetypo antiquos et mutilatos libros secundum illum novum conrectos esse, ita tota illa sententia evanescet lectionibus recentiorum librorum propriis accuratius pervestigatis et inlustratis.

In universum autem codices Sallusti examinantibus facile persuadebitur, id quod Rothius primus demonstravit, eos libros qui sub finem Iugurthae ampla illa lacuna mutilati essent ad unum eundemque archetypum spectare; quibus in speciem ac nomen primi generis redactis omnes illi adnumerantur qui in ed. Dietsch. grandibus litteris designati sunt, antiquissimae plerumque aetatis, praeterea Nazarianus quoque et Commelinianus Gruteri et ut nos

opinamur liber G [1]), dum de libro M res adhuc in incerto est. Sed in hoc primo librorum genere familiae instar sunt veteres codices Parisini P P^1 P^2 P^3, quibus accedit Basileensis B, multis in rebus inter se consentientes et a reliquis aperte abhorrentes; nec tamen qua ratione singuli libri cohaereant demonstrari potest, nisi quod P^3 et B ex eodem libro descriptos esse constat (cf. Dietsch. comm. p. 5). Sed et alteram in hoc primo genere librorum familiam adumbravit Dietschius quae est codicum M M^1 M^2 T F [2]). Ut vero haec familia iam aetate ab illa priore superatur, ita conruptis saepe scripturis [3]) et perverso verborum ordine laborat (Ca. 2, 9. — 9, 4. — Iu. 14, 17. — 14, 23. — 24, 2. — 29, 3 et 4. — 31, 14. — 35, 1 et 7. — 44, 2. — 62, 2. — 81, 1 et sim. —) nec raro parvis lacunis deformata est [4]). Ceterum quominus plane eos libros despiciamus et pro nihilo aestimemus, multis locis prohibemur, ubi veram lectionem soli praebent, ut Iu. 12, 3 *sua visens.* — Iu. 6, 1 *luxu.* — Iu. 91, 7 omiserunt glossema *ante;* inprimis vero priscam verborum scripturam nonnunquam soli servarunt, ut *lubido* Ca. 28, 4; Iu. 31, 7; 40, 3 et 5; 41, 5; 42, 4; 81, 1. — *formidulosus* Ca. 7, 5; 19, 2; 52, 13. — *incolomis* Iu. 14, 10 et 16; 38, 9; 107, 6. — *intellego* Iu. 33, 4 et al. Tamen in ea divisione primum genus librorum permultis locis unum atque integrum

---

[1]) Nam Ca. 7, 6 deest *sic* in P Naz. Comm. G, supra lin. adscr. in P^1. — Ca. 10, 2 *alias* P G. — Ca. 52, 14 *sunt ut aut a populo* in Naz. Comm. E m G. — Simil. loc. Ca, 39, 2. 58, 3. 52, 20. 30, 6. 47, 2. —

[2]) Quod liber S quoque prope ad hanc familiam accedat, omissis aliis testimoniis iam ex Iu. 29, 5 *per scaurum* concludi potest. —

[3]) cf. Ca. 2, 8 eorum *ergo.* — Ca. 6, 1 agrestium. — 9, 4 bello. — 51, 15 minores cruciatus. — 55, 3 locus qui. — Iu. 10, 1 facta. — 32, 1 acceptae. — 37, 1 tribunis. — 40, 3 quantum. — 53, 7 apud alterum. — 85, 15 generosum esse. — 94, 3 insidias. —

[4]) Ca. 3, 3 que. — 6, 6 imperium, — habebant. — 9, 1 deorum. — 15, 5 modo. — Iu. 1, 3 bonas. — 25, 4 usi. — 37, 4 quod. — 60, 4 aut. — 85, 40 esse. — 93, 8 ei. — 97, 2 eius; et al. —

permansit et omnino omnibus excellit virtutibus quae antiquissimo cuique libro innatae sunt.

Aliter vero alterum genus codicum se habet quod reliquos libros complectitur, in fine Iugurthae non mutilatos, a Dietschio minutis litteris signatos. Quorum cum singuli tot locis a reliquis discrepent, ut antequam ratione quadam et consilio eos in familias discernere ac conligere possis, vires te deficiant, post Rothium in hoc stabant doctorum virorum sententiae, omnes libros qui verba Iu. 103, 2 — 112, 3 praeberent quasi unum genus ex eadem origine et fonte derivatum extare, nec tamen satis dilucide explicare poterant, cur in antiquioribus plerisque codicibus huius generis parvae quaedam lacunae invenirentur (quas vid. infra p. 19) quae in recentissimis suppletae essent. Quo factum est, ut in recensendis codicibus eisque in usum scriptoris convertendis editores non tam certa ratione uti potuerint quali in tanta librorum copia ac farragine opus est [1]).

Nostrum igitur erit diligenter explorare, primum quanti eas scripturas quae solo in altero genere codicum inveniantur aestimemus qualemque eis originem vindicemus, deinde vero quid in universum de origine et partibus alterius generis librorum statuendum sit.

I.

Etiamsi vero eum qui apparatum criticum edit. Dietsch. accurate et ratione quadam indagaturus est, suave et iucundum munus suscepisse non dixeris, tamen quomodo id nunc vitemus non sup-

---

[1]) Et ipse Dietschius, quanquam statim ab initio in primi generis partes se transtulit, tamen nonnunquam perperam ad praeferendum alterum genus inclinabat, ut; Ca. 6, 2 *alii;* — Iu. 38, 9 *teneret;* — 84, 3 *plebei;* — 89, 7 *agebatur* et al. —

petit, cum in hac disputatione permultum nostra intersit, eas potissimum scripturas conligere ac perpendere quas proprias esse alterius generis satis compertum sit. Nam si exploratis eis appareret, nonnullas integras Sallusti scripturas tantum in alt. gen. vel in maxima parte eius extare, de vetere eius origine et virtute dubitari iam non posset; sin in singulis tantum hui. gen. libris eiusmodi vestigia perspiciemus, hanc paucorum librorum praestantiam non de toto genere praedicari debere manifestum erit. Ceterum cum inter omnes constet, quot et quantis conruptelis recentiores libri foedati sint, omnes eas occasione data iterum atque iterum enarrare longe a consilio nostro abest[1]).

Catil. 2, 1 *igitur in initio]* legimus in 13 libris II gen. (in uno: *ab initio*), cum eidem fere libri etiam Ca. 2, 4 *in initio* male exhibeant et idem Ca. 3, 3; 6, 1; 6, 7 plerumque maxima pars illorum codicum cf. Ca. 39, 5; 56, 2 et 5. Falso autem omnibus his locis praepositionem a librariis additam esse et omnino haud magni momenti est et fortasse ex perversa primarum litterarum illius verbi geminatione explicari potest. — **Ca. 4, 2** *incepto studioque]* particula *que* in 8 libr. II gen. propterea excidisse nobis videtur, quod haec verba ab illis librariis non recte intellecta erant; et similiter Ca. 9, 1 *ius bonumque*, cum in nonnullis libris II gen. *que* desit, in p legitur: *bonum iusticiaque* et in p^3: *ius legale bonumque.* — **Ca. 5, 8** *Incitabant [eum] praeterea]* vel *illum* vel *praeterea eum* permulti II gen. l. tradunt, sed hoc pronomen glossema esse iam inde apparet quod alio in aliis libris loco invenitur. — **Ca. 8, 4** *Ita eorum qui [ea] fecere virtus tanta habetur]* Cum omnes libr. praeter p^3 s^1 l pronomen *ea* hic praebeant, tamen Dietschius iure id omittendum esse censuit, sed tamen coniectura

---

[1]) Sed hoc loco monendum est, in Iugurtha, teste Rothio, diversitatem utriusque librorum generis magis perspicue et expresse apparere quam in Catilina; praeterea autem Dietschium ‚ad XX Catilinae capita prima omnes exhibuisse librorum scripturas, quae ei innotuissent‘ cf. praef. p. VI, quam ob rem illae partes maxime idoneae esse videntur quas accuratius pervestigemus. —

potius usus et Hieronymi locum (vit. 5. Hilarion. 1.), quo verba illa laudantur, secutus quam trium illorum libr. auctoritate commotus; cf. comm. p. 102. Infra autem omnibus qui huc pertinent locis penitus perspectis et inter se comparatis quomodo hi libri praestantiorum illam lectionem nacti sint similibus locis adlatis demonstrare conabimur. — **Ca. 10, 4** *Namque avaritia fidem probitatem ceterasque bonas artes]* sic tantum in P[4] et 9 l. II gen. (in reliquis: *artes bonas*) legitur; quam lectionem cur Dietschius in textum non receperit, parum liquet, praesertim cum inter 12 locos in quibus Sallustius verbis *bonas artes* usus sit novies iusta illa verborum conlocatio optimorum libr. consensu confirmetur; ceterum fore neminem confidimus qui ex hoc nostro loco II generi praesidium parare velit. — **Ca. 12, 5** *omnia ea sociis adimere quae fortissimi viri victores hostibus reliquerant]* sic nonnulli libr. II gen. exhibent; sed longe plurimi h. g. et omnes I gen. *hostibus* omiserunt, quod sine dubio a nobis quoque repudiandum erit, quanquam veterum Sallusti editorum Rivius, Ciacconus, Ursinus, Gruterus, Popma, scilicet ut congruentiam quandam et concinnitatem totius enunciati restituerent, *hostibus* vel *victis* recipiebant itemque inter recentiores Kritz. septem libros secutus. Dietschius autem qui in edit. min. 1846 eandem lectionem ‚summo studio defenderat‘ eam nunc glossema iudicat demonstrata talis additamenti perversitate. Recte quoque v. d. Kviçala Zeitschrift für öster. Gymnas. 1863 p. 580—626 (interpretatur vero ibi multos difficiliores locos Catilinae acuto et accurato iudicio usus) intellexit, verbo *sociis* iam in praecedenti enunciato illud *victis* oppositum esse et praeterea ex plusquamperfecto *reliquerant* satis firme apparere, Sallustium hoc loco de eisdem populis atque antea cogitare. Nobis vero talia glossemata magis magisque persuadent, librarios et conrectores inferioris aetatis qui ut intellegerent et explanarent scriptorem, maiori opera et cura, quam qui ante eos Sallustium tractassent niterentur, saepe obscuros vel difficiliores locos ex arbitrio suo emendasse. — **Ca. 17, 5** *consili huiusce participes]* quam sinceram lectionem multi II gen. librarii in *huiuscemodi* conruperunt. — **Ca. 19, 3** *ab equitibus Hispanis quos sine exercitu ductabat, iter faciens occisus est]* Etsi

quod coniecit Dietschius: *sine* librorum g[3] et m lectione confirmatur, tamen his quoque testimoniis haud maiorem quam coniecturae vim attribuimus, quae ultimis litteris finitimorum verborum (quos in exercitu) sive casu sive consilio geminatis facile oriri potuit[1]). Extat enim in P et 7 utriusque generis libris *in exercitum*, in reliquis autem *in exercitu*, excepto quod P (I ma) *inter exercitum* exhibet; quae quidem lectio cod. P ceteris omnibus praeferenda esse nobis videtur. Nam si verba *iter faciens*, ut simplex totius sententiae ratio postulat, ad *occisus est* referenda esse statues, verbo *ductabat* nullam aliam significationem concedere poteris, nisi quam nos ‚unter seinem Commando haben' vertimus quaque Sall. Ca. 11, 5; 17, 7; Iu. 70, 2 usus est, minime vero illam cui Dietsch. (conl. Iu. 38, 1) favet: ‚hin- und herführen', qua adhibita nostro loco propter illud *iter faciens* sine dubio pleonasmus efficeretur. Ac nihil certe praebebit offensionis srciptura *inter exercitum*, si Sallusti consuetudinem respexeris qui dixit: Iu. 90, 5 erat inter ceteram planitiem mons. — Iu. 63, 3 inter bonas artes adolevit. — Ca. 3, 4 tenebatur inter tanta vitia et sim. l. — **Ca. 19, 5** *Nos vero eam rem in medio relinquemus]* illud *relinquimus* quod 18 l. II gen. exhibent (et idem lib. G.) iam a veteribus editoribus Rivio, Ciaccono, Ursino refutatur conlatis Cic. pro Cael. 18 neminem nominabo. — Gell. N. A. 17, 2 Q. Claudius Ann. I: nos, inquit, in medium relinquemus. — Tac. Germ. [46 extr.] Quod ego ut incompertum in medium relinquam. — **Ca. 20, 2** *Spes magna, dominatio in manibus frustra fuisset]* Dubium esse nequit, quin quod in 15 l. II gen. legimus *dominationis* emendationi recentiorum librariorum tribuendum sit; recte igitur Kritz. monet ad h. l. ‚quod quanquam non ineptum est, tamen scribarum ingenio deberi alia docet interpolatio; quippe quod est in Gelf. 9 et Bas. 2 *dominatioque* non potuisset effingi, si primitus genitivus adfuisset'. — **Ibid.** *Ni virtus fidesque vostra spec-*

---

[1]) Similiter Ca. 52, 25 moeni*a de*prehensis in adprehensis mutatum et Iu. 95, 3 a*d s*imulanda in ad dissimulanda.

tata] in 11 l. II gen. ad *spectata* adiectum est vocabulum *satis*, sed glossema esse iam inde apparet, quod in aliis libris alii loco insertum est. — **Ca. 20, 14** *Quin igitur expergiscimini?]* Quam foede ab inferioris aetatis librariis scripta Sallusti conrupta sint, hic quoque locus demonstrat, cum nonnulli libri, inter quos ille p[3] verba *et capessite rem publicam* ex Ca. 52, 5 deprompta partim superscripta partim in textum recepta teneant. — **Ca. 21, 1** *Tametsi illis quieta movere]* pro quibus in 14 l. II gen. vel *quietam rem publ.* vel *rem p. qu.* legitur. — **Ca. 22, 1** *Cum ad iusiurandum popularis sceleris sui adigeret]* Dietsch. ad h. l. adnotat: ‚multi posterioris aetatis libri ad *popularis* vel *conscios* vel *socios* adiciunt'. — **Ca. 24, 2** *Pecuniam sua aut amicorum fide sumptam]* Extat in 10 l. II gen. *suam.* — **Ca. 30, 3** *Ei utrique ad urbem inperatores erant, inpediti ne triumpharent]* Variae in nonnullis scripturae: *impedita* vel *ad urbem consules erant* vel *ne catilinarii triumph.* vel *ne illi triumpharent.* — **Ca. 31, 3** *miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere]* quod hic in multis libris ad *rogitare* adiectum est vocabulum *deos*, nemo editorum adhuc in textum recepit; contra coniectura illa Gruteri: *rogitare omnia, omnia pavere* dignissima videtur quam probemus. — **Ca. 31, 7** *postulare patribus c. ne quid de se temere credant]* Quod cum in vetustioribus fuerit libris, recentioribus plerisque *a patribus coepit* exhibentibus, pro certo habemus, has et alias lectionum diversitates ex usitata illa nota P. C. qua patres conscripti significatur ortas esse. Mirum autem est ac tamen multis aliis testimoniis comprobari potest, quantas nonnunquam difficultates eiusmodi notae librariis sensum scriptoris explorantibus excitaverint; sic Ca. 42, 3 *ex S. C.* (id quod est: ex senati consulto) in nonnullis II gen. libris in *ex sociis Catilinae* mutatum est et similiter Iu. 32, 5 *At Cassius p. r.* (i. e. perlata rogatione) in *populus romanus* vel *praetor roman.* Itaque nostro loco quod solus omnium librorum m exhibet: *patres c.* integram Sallusti scripturam continet, et restituendum igitur erit in textu scriptoris *patres conscripti ne*, quod idem iam Gruterus coniecerat. Cum vero Dietsch. (comm. p. 108) Selling. emendat. p. 21 (quam commentationem nancisci non poteram) secutus illam lectionem repudiaverit monu-

critque lectores ‚*postul. a patribus coepit* veram scripturam esse confirmari per vetustissimos codices', iure ei obicietur, primum antiquissimos libros *patribus,* non *a patribus* exhibere, dum praepositio *a* sine dubio a recentioribus librariis qua locus sanetur adiecta sit, deinde in libro non spernendae auctoritatis E supra lineam *patres* adscriptum esse, denique *patribus c.* (non *coepit*) in tribus illis optimis et vetustissimis P[1] Pal. Naz. inveniri; omnino vero notam *c.* a librariis unquam esse adhibitam qua *coepit* significetur negandum erit. Quibus rebus consideratis nemo certe dubitabit, quin ut supra commemoravimus diversae huius loci scripturae ex nota P. C. originem duxerint. Restat autem, ut cum bonam et integram scripturam qua liber m hoc loco excellat tum quibus reliqui II gen. l. infecti sint conruptelas observemus et ad id loci seponamus quo de librorum auctoritate et virtute in universum iudicandum erit. — **Ca. 32, 2** *mandat quibus rebus possent]* Quod cum in maxima parte librorum legatur, solus g[2] *possint* exhibet. At quamvis Dietsch. hanc scripturam in textum receperit (sed ut videtur ex ipsius coniectura potius quam illum librum secutus), tamen verbo vix monendum est, ex varietate eiusmodi argumentum ullum ad alterius gen. aestimationem idoneum proferri non posse. Ceterum cum nec Dietschius ipse (in ed. min.) neque alii Sallusti editores, Zumpti gr. l. §. 501 et testimonia a Fabri. ad l. nostr. conlecta respicientes, scripturae *possent* adhuc diffisi essent, nobis si quid mutandum sit, potius illud *possunt* in libro E inventum praeferendum esse videtur, quippe quod cum consuetudine Sallustiana maxime congruat. Usus enim est Sallustius indicativo in secundario enunciato obliquae orationis, ut iam Dietsch. et alii editores censuerunt (cf. Kritz. ad Ca. 14, 7) hisce locis: Ca. 27, 4; 50, 3. Iu. 38, 9; 63, 1; 29, 1; 106, 3; 111, 2; nobis vero idem esse restituendum videtur his quoque locis: Iu. 49, 2 q u o s a n t e a v i c t o s s u b i u g u m m i s e r u n t (sic enim lib. m exhibet); — Iu. 54, 1 q u a e l e v i a s u n t cum omnibus libris; — Iu. 81, 1 q u i s o m n i a r e g n a a d v e r s a s u n t cum P[1] et al. — **Ca. 33, 5** *nisi cum anima amittit]* Quo loco cum tantum in s[1] et p[5] *amisit* legatur, haec discrepantia certe fortuita et levis habenda est, adnotante Dietschio qui Sellingium emend.

p. 22 secutus coniecturae loco eam recepit: ‚quanquam — — libri qui *amisit* exhibent, recentiores neque ullius fidei sunt'. (comm. p. 108). — **Ca. 37, 5** *ei Romam siculi in sentinam confluxerunt]* Quibus verbis in 8 l. II gen. cumulate *aqua* vel *aquae* additum est. — **Ca. 38, 2** *nitebatur pleraque nobilitas senatus specie]* Dum 9 l. II gen. *sub sen. specie* exhibent, in 4 eiusdem gen. *specie* in *specialiter* mutatum est. — **Ca. 49, 1** *neque precibus neque gratia neque pretio Ciceronem inpellere potuere]* Cum hoc loco in g[3] *neque precibus* desit, in aliis vero libris vel *neque gratia* vel *neque pretio*, sitne unum horum membrorum subditicium an non diiudicare non poterimus nisi omissa librorum auctoritate praecipue ad rationes verborum respexerimus; quo fit ut vix firma sententia de hac re proferri possit. Nam cum priores editores minime in his verbis offendissent et nuper Kviçala quoque l. c. contra Dietschium eos defendisset, tamen difficile est non intellegere, haec tria membra paene languidiora esse et parum illam praeclaram Sallusti brevitatem sapere. At Dietschium eadem ut videtur ratione ductum, cum ut unum horum membrorum excluderetur, ex Prisciani verbis qui l. X p. 539 ita tradidit: *Sall. in Catilinario: sed neque pretio neque gratia inpelli quivit* remedium traheret et Sallusti verba secundum hunc locum Prisciani conrigeret, iustam sanandi viam ingressum esse negamus, censemus parum eum intellexisse, Prisciani locum certe mendosum esse sive ab ipso Prisc. sive a librariis in verbo *Catilinario* erratum sit, quod esse in *historiis* mutandum pro certo habemus. Nam verbi *quivit* quod hoc loco a Prisciano praecipue premitur, in omnibus quos habemus libris ne vestigium quidem extat; nec si hoc loco *quivere* in libr. Sall. extitisset, esse poterat cur a librariis in *potuere* mutaretur. In qua re tam difficili ac subtili si quid doctis editoribus contrarium et nullis certis argumentis firmatum statuere nobis concessum est, illud *neque precibus neque gratia* optimum esse censebimus, partim quo a Cicerone suspitionem conruptionis removeamus, partim scriptura libri G: *neque precibus neque gratia praecia* commoti. Quod autem Dietcsh. in comment. p. 65 contenderat, verbum *gratiam* iam illud *preces* amplecti, a Kviçala bene refutatur qui vocabulo *gratiae* significationem ‚v e r s p r o c h n e

Dienstleistungen' vindicat. Ceterum ex illa scripturae diversitate libris II gen. speciem propriae originis adscribi non posse satis manifestum est. — **Ca. 52, 2** *longe alia mihi mens est]* ubi legitur in nonnullis *aliena*. — §. 4. pro *evenit* in 11 l. *evenerit*. — §. 5. *pluris quam rem pub. fecistis]* ubi glossema *precii* in 6 l II gen. extat. — §. 27. *misereamini censeo — — — atque etiam armatos dimittatis]* adnotat Dietsch.: ,Varie deteriores libri *timeo* vel *vereor* vel *cavete* adiciunt'. — **Iug. 1, 2** *neque maius aliud neque praestabilius invenias]* Quae scriptura in antiquissimis libris et in veteribus Rivi et Wassi editionibus extat, sed omnes fere l. II gen. *invenies* exhibent, quos Cortius Gerlach. Kritz. secuntur. Coniunctivum vero hic solum aptum esse Dietsch. in ed. min. satis accurate demonstravit, nisus Madvigi gr. l. §. 370. — **Iu. 5, 4** *cuius in Africa magnum atque late inperium valuit]* Librarii cum non intellegerent, vocabulum *magnum* hic adverbi vim habere (ut Iu. 1, 5 *multumque etiam periculosum* cf. Kritz. ad. n. l.) in 5 l. II gen. pro *late* scripserunt *latum*. — **Iu. 10, 2** *nam ut alia magna et egregia tua omittam]* Praeter glossema *facta* in nonnullis I et II gen. additum, in 9 vocabulum *facinora* legimus. — **Ibid.** *in Hispania nomen familiae renovatum]* glossema ,nostrae' in 14 l. II gen. invenitur. — **Iu. 12, 5** *occultans se in tugurio mulieris ancillae]* Qua carere hic non possumus praepositio ,*in*' etsi tantum in 9 l. II gen. (et in M[2]) extat, tamen non maiorem praestantiam et auctoritatem his libris parat, sed potius acumini unius et alterius librari attribuenda est, qui fortasse insciens rationem linguae et grammatices servasset. Saepe vero qui in libros Sall. praepositiones immiscebant summae perversitatis et licentiae crimen in se admiserunt, ut videmus in Ca. 2, 1 ,*in* initio'. — Ca. 23, 1 ,*a* senatu'. — 23, 4 ,*ex* insolentia'. — 38, 2 ,*sub* senatus specie' in 9 l. II gen. — Iu. 28, 6 ,*in* Siciliam'. — 37, 4 ,*ex* saevitia'. — 63, 3 ,et *per* omnem pueritiam' in 11 l. II gen. — 91, 3 ,*per* omnem noctem'. — Similiter vero Donati quoque codices arbitrio librariorum laborare videntur, cum altero loco quo verba ,*occultans se etc.*' commemorat praepositio inveniatur, alteri desit. — **Iu. 16, 3** *perfecit uti famae fide, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret]* iam ab anti-

quissimis ut videtur librariis dativum *,fide'* ablativum habentibus vocabulum ,famae' in ,fama' mutatum est quod et optimi I gen. et pars II tradunt (similiter Iu. 84, 3 ab eis qui formam *plebe* non recte intellexerint verba scriptoris turbata sunt) sed recentiorum cura qui, in depingendis singulis litteris non adquiescentes, ut ex plurimis locis apparet, altius quam priores sententiam scriptoris intrarent, factum est, ut forma dativi quam solam noverant restitueretur. Ex eis vero quae Dietsch. ad. h. l. adnotavi tfortasse suspicari licet, in libro M sinceram lectionem *,famae fide'* extare. — **Iu. 18, 3** *ac passim multis sibi quisque inperium petentibus*] Quod Sallustius h. l. in constructione ablativi absoluti quae vocatur nominativo pronominis ,quisque' usus sit, (de qua re vid. Kritz. ad h. l) id sine dubio a nonnullis librariis vitium putabatur, quare praetermissum est pronomen in 7 l. II gen. — **Iu. 31, 7** *in plebem Romanam quaestiones habitae sunt*] scriptura plurimorum l. II gen. *,graves* quaestiones' a Kritzio Dietschioque propter variam conlocationem glossematis quidem adnumeratur, tamen non plane inepta esse iudicatur. Sed idem fere de hoc loco valet quod supra ad Iu. 16, 3 adnotavimus et, ni fallimus, conrector quidam Sallustianae dictionis gnarus, similibus locis ut Iu. 31, 13 ,alii *quaestiones iniustas*, plerique caedem in vos fecisse' et Iu. 40, 5 ,sed quaestio exercita *aspere violenterque'* ut glossema illud adnotaret adductus est. — **Iu. 31, 22** *nisi deinde faciundi licentia eripitur*] quanquam 10 l. II gen. *,eripiatur'* exhibent, tamen eam lectionem ex separata a reliquis origine ductam esse vix putabis, cum in libro E una littera erasa, in T et nonnullis aliis I gen. littera *a* superscripta sit. — **Iu. 33, 4** *verba facit*] saepissime in recent. libris praesens historicum perperam in perfectum mutatum est; sic n. l. ,fecit' in 7 l.; — praeterea Iu. 34, 2 ,discessit' pro ,discedit'; — Ca. 47, 3 ,decrevit' cf. Ca. 33, 5. Iu. 58, 1. 63, 4. 68, 1. 71, 4. — **Iu. 37, 3** *aut belli conficiendi aut terrore exercitus*] Non dubium est, quin et *,causa'* et *,gratia'* et *,spe'* post ,conficiendi' in plerisque l. II gen. scripta, a recentioribus demum addita sint. — **Iu. 38, 5** *arma capere alii, alii se abdere*] in 13 l. vocabulum ,alii' semel tantum legitur; sic etiam Iu. 60, 4 cf. 72, 2. 78, 2 duorum similium verborum alterum ex-

cidit — **Iu. 38, 9** *tametsi ipsum — — clausum tenet]* non erat, cur Dietsch. verbum ‚*teneret*' (quod solus h praebet, reliquis II gen. vel ‚teneat' vel ‚tenebat' exhibentibus) reciperet, cum ‚*tenet*', vetustiss. l. consensu munitum, etiam a Kritzio ad h. l. et ad Ca. 27, 4 et Iu. 63, 1 satis firme defenderetur. — **Iu. 38, 10** *mortis metu mutabantur]* Quae cum sit lectio omnium fere I gen. libr., magna diversitas quae est in scripturis II gen. testimonium nobis profert, quanta saepe licentia librarii verba scriptoris mutaverint; legimus enim ibi: ‚urgebantur' ‚minitabantur' ‚multabantur' ‚nitebantur' ‚cogebantur' ‚terrebantur' ‚augustiabantur' ‚tegebantur', ‚nutebantur' ‚nutabant', in 5 vero II gen. ‚tenebantur' quod iam per se ipsum satis probabile, etiam in Commelinian oextare a Dietsch. narratur; sed vereor ne v. d. in hac adnotatione lapsus sit, cum ex verbis Gruteri quae attulit Frotscher. in ‚Animadverss. doctt. virorum in Sallustium' satis certe apparere videatur, Commel. hic praebere ‚*agitabatur*'; quod verbum, Sallustianae consuetudini aptissimum et saepe similibus locis usitatum (cf. Iu. 25, 6 ‚metu atque libidine divorsus *agitabatur*'; Ca. 9, 5 ‚metu inperium *agitare*'; Hist. I 48, 11 ‚*agitatur* et laceratur cupidine animi et noxarum metu' omnibus quas enarravimus lectionibus praestat, praesertim cum illud ‚mutabant' quod olim Palmerius coniecerat,Cortius postea et Kritz. et Dietsch.(ed. min.) ex uno libro receperunt non parvas interpretandi difficultates excitet. Quod vero nuper Dietsch. coniecit: ‚mortis *metum intuebantur*' nec sensu neque usu Sallustiani sermonis comprobari poterit. — **Iu. 39, 2** *Ob ea consul Albinus — — senatum de foedere consulebat]* Qui locus propterea a nobis notandus est, quod glossema: ‚utrum foedus quod pepigerat cum Ingurtha firmum et sic factum perdurare debuisset nec ne' in libr. G et M aliisque I gen. in margine adscriptum est, in nonnullis II gen. inter verba scriptoris receptum. — **Iu. 40, 5** *sed quaestio exercita aspere violenterque]* ut scriptura ‚exercitata', ita ‚quaestione' quam 11 l. II gen. exhibent minime praeferenda est lectioni antiquiss. librorum; similiter vero Iu. 14, 5 ‚alium alia clade oppressit' vocabulum ‚clade' a recentior. librariis mutatum est in ‚clades'. — **Iu. 41, 1** *ceterum mos partium [popularium] et [senatus] factionum]* cum in antiquiss. I gen. *partium*

popularium et senatores factionum scriptum sit (excepto quod ‚senatores‘ deest in Nazar., ‚senati‘ in Commel. a posteriore manu adiectum est), apparet varias huius vocabuli formas glossema sapere, adscriptum ad voc. ‚factionum‘; qua in re non mediocris momenti est, in libro m et qui cum eo saepe congruit in m² non solum ‚senatus‘, verum etiam ‚popularium‘ primo scriptum non fuisse‘ sed postea demum a manu secunda ut Dietschio videtur adnotatum, quo sane vehementer augetur huius libri auctoritas. — **Iu. 41, 7** *paucorum arbitrio belli domique agitabatur]* Ad quae verba Dietsch. adnotavit: ‚deteriores libri *respublica* vel *res* addunt‘ quorum utrumque glossema habendum esse Kritz. ad h. l. (cf. ad Ca. 23, 3 et Iu. 18, 9) demonstravit atque inde ea orta esse quod librarii non observassent, Sallustium verbo ‚agitari, absolute ut dicunt uti. — **Iu. 42, 1** *tribunum alterum]* addunt 7 l. II gen. vocabulum *plebis*. — **Iu. 54, 5** *statuit non proeliis neque in acie sed alio more bellum gerundum]* cum praepositio *in* qua hic certe opus non est, tantum in 10 l. II gen. et in M² omissum sit, Dietschius qui uncis eam circumclusit: ‚Quanquam‘ inquit ‚qui libri omittunt *in* non tanta fide sunt, uti casu omissam esse praepositionem negandum videatur‘. At Cortius olim adnotaverat: ‚Mss. multi *in acie* quod repudiare non decet; sic *in tempore, in imperio, in manibus, in loco* apud Nostrum, sed editores retinuit *praeliis;* Rem. 1. *in praeliis*‘. Quas diversitates quanti nos facere debeamus, iam supra ad Iu. 12, 5 nonnullis eius rei exemplis adlatis demonstravimus. — **Iu. 63, 6** *tamen is ad id locorum talis vir — — — consulatum appetere non audebat]* Vocabulum *consulatum* quod in plurimis libris desideratur iam antiquiss. librariorum incuria excidisse videtur, fortasse ea de causa quod in subsequenti linea idem vocabulum legitur; recentioribus demum temporibus lacuna observata ‚*consulatum*‘ vel ‚*consulatus honorem*‘ librarii suppleverunt. — **Iu. 72, 2** *civis hostisque iuxta metuere]* Commel. et pauci II gen. omittunt vocabulum *que;* quod quamvis Linkerus subditicium esse censeatur, tamen Sallustiana consuetudine satis confirmari et in illis libris casu tantum excidisse non negamus. cf. Ca. 2, 8 vitam mortemque iuxta aestimo; Ca. 61, 6 suae hostiumque vitae iuxta pepercerant; Iu. 67, 2 iuxta

boni malique; Iu. 85, 47 me vosque iuxta geram. — **Iu. 73, 3** *sed paulo decreverat ea res]* Ita legitur in maxima parte antiquorum libr., in nonnullis ‚sed senatus paulo decio decreverat', in B et G *senatus* superscriptum est. (Quod vero de Nazar. et Commel. Dietschius adnotaverit quin verum sit, vehementer dubitemus, cum Frotscher. l. l. testetur, in Nazar. extare *senatus decio pro,* in Commel. *sed senatus paulo post decreverat)* Postea vero quo quisque recentiorum librariorum ad intellegendam scriptoris sententiam aptior esset et instructior, eo magis restituendis verbis operam dedit; itaque plurimi quidem *sed paulo ante senatus Numidiam Metello decreverat* scripserunt, ita tamen ut quaecunque fere excogitari potuit verborum conlocatio, ea hoc loco singuli singulis in libris usi sint cf. Dietsch. comm. p. 13 adn. 1. — **Iu. 78, 2** *alta alia, alia in tempestate vadosa]* Quamvis alterum *alia* in omnibus fere libris desit, tantum in g² et l inveniatur, tamen si cogitaveris, non solum eiusmodi mendum, cum verba repetantur, saepissime investigatori librorum occurrere (cf. supra ad Iu. 38, 5), sed etiam ei qui paulo accuratius scriptorem perlegat, statim quomodo locus sanandus sit suppeditari oportere, non dubitabis, quin nihil ex ea conrectura praestantiae illi libri sibi vindicari possint. — **Iu. 79, 8** *Graeci optionem Carthaginiensium faciunt, ut vel illi quos fines populo suo peterent, ibi etc.]* Quod exhibuerunt multi l. II gen. *quo fines,* certe repudiandum est, cognita interpretatione qua Kritzius hanc ‚singularem attractionem' librariis obscuram inlustravit. — **Iu. 89, 7** *quae procul a mari agebat]* Eam optimorum et plurimorum l. scripturam praeter alios doctos viros Kritzius quoque retinere voluit qui ‚terrae nomen' inquit ‚*agebat* praedicatum habere, quod incolis modo convenit, paulo durius quidem est, sed tamen in generali sententia ferri potest; similiter Cic. Tusc. I 1. 2'; sed veremur ut haec tam spinosa et arcessita interpretatio multis probari possit. Et Dietschius quidem in hac difficultate, intermissa ea quam sibi proposuerat alt. gen. despicientia et neglegentia, quod in 9 hui. gen. l. legitur: *agebatur* recepit (cf. comm. p. 129) sed immerito ut videtur, cum scriptura libri T: *agebant,* cui accedit Linkeri coniectura *qua procul,* et sensum et interpreta-

tionem aptam facilemque admittat. Saepissime autem praecipue in recent. libris singularis et pluralis numerus verborum inter se mutabantur, ut Ca. 20, 2 ,fuisset' in 12 l. II gen. pro ,fuissent'. — 20, 9 ,fueritis' pro ,fueris'. — 23, 6 ,credebant' et ,credebat'. — 25, 3 ,fuere' et ,fuit'. — 38,3 ,certabant' et ,certabat'. — 47, 4 ,traditur' et ,traduntur'. — 48, 1 ,agitabant'. — Iu. 18, 1 ,appellantur'. — 79, 5 ,cognovimus' et sim. l. — Nonnunquam vero activum et passivum perperam inter se mutata: Ca. 52, 27 ,convertat' et ,convertatur'. — Iu. 35, 3 ,movere' et ,moveri'. — 84, 3 ,putabat' et ,putabatur'. — **Iu. 92, 1** *Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum commodo, magnus et clarus — — haberi coepit]* Verbum enunciati secundarii sine dubio iam in archetypo quicunque fuit omissum erat; itaque in nonnullis antiquiss. libris (in quibus Nazar. et Commel.) omnino adhuc deest, in recent. vero lacuna vario modo verbis *peregit* vel *gessit* vel *effecit* additis, expleta est. Sed quamvis libri m qui *effecit* hic exhibet auctoritatem non parvi aestimandam esse iam supra ostenderimus, tamen Dietschio nunc eum librum secuto (comm. p. 25) adsentire nequimus, quippe cui non esset, ut nobis quidem videtur, cur illud *patravit* quod ex Palat. 2 recepisset, verbum bona indole et in eiusmodi conexu a Sallustio saepe usitatum (ut Ca. 18, 8 facinus *patratum* cf. Ca. 56, 4. — Iu. 70, 5 incepta *patrare.* — Iu. 43, 4 ad ea *patranda.* — Iu. 13, 5 *patratis* consiliis) in hac manifesta librariorum licentia nunc huic *effecit* postponeret. — **Iu. 92, 2** *omnia non bene consulta in virtutem trahebantur]* sic omnes l. I et plerique atque antiquissimi II gen. exhibent. Prima autem interpolatio in libr. p^5 et g apparet, in quibus ,*etiam*' post *omnia* insertum est; deinde ,*vero*' in γ, ,*modo*' in h additum, denique p^3 p^6 g^5 praebent post *consulta* verba ,*verum etiam casu data*' atque g^2 l r ,*modo verum etiam casu data*'. Scilicet ea in re fieri non potuit quin editorum de his verbis sententiae vehementer discreparent. Et Cortius quidem qui ubicunque occasio ei data est, ut Sallustianam dictionem circumcideret ac contraheret vehementer studebat, modum parum servavit in adnotando ,pessime et contra mentem Sallustii'. Kritzius enim, quanquam illa verba rece-

pit, tamen fatetur: ‚neque pro certo affirmaverim me verum dedisse contentus in loco perquam dubio probabilitatem secutus'. Neque hercle aliud de hoc loco vix quisquam proferre poterit, cum neque plane illis verbis opus sit nec pulchre ea toti sententiae convenire negari possit; nobis, si in maxima parte II gen. extarent, dubium non esset, quin antiquissimae hui. gen. originis testimonium adferrent; nunc simpliciter illis quae iam cognovimus glossematis adnumeramus. — **Iu. 93, 3** *more ingeni humani cupido difficilia faciundi animum vertit]* quae lectio optim. et antiquiss. libr. ita interpretanda est, ut ‚cupido difficilia faciundi' Ligurem a primitivo proposito coclearum legendarum detraxerit; sed a librariis recent. male intellecta esse videtur, quippe qui eam in ‚animum accendit' vel ‚invadit' vel ‚cepit' vel ‚intendit' et aliter (cf. Kritz.) mutarent. — **Iu. 92, 5** *nam omnis a natura]* sic optime coniecit Dietschius, dum in antiquissimis libr. extat *omnia natura*, in recent. *omnis natura*, in plerisque autem II gen. *per omnia* vel *per loca* vel *per alia omnia;* quo loco quam licenter librarii II gen. inveteratum mendum conrexerint, rursus luce clarius est. — **Iu. 93, 4** *Ligus in castelli planitiem perrepsit]* Hoc quoque loco in libris I et II gen., cum propria archetypo scriptura olim periisse videatur, varie mutatum est; sed verbum *perrepsit* quod nuper Orellius recte suspicatus est (sive cum Woelfflino l.l. *perrepit* mavis), in solo p^5 ad marginem adscriptum, aliam quam Dietschi interpretationem: ‚eam librari sagacis et acuti emendationem esse' non admittet; ipsius vero Dietschi coniecturam: *perscrutatur* propterea non probaverimus, quod post praecedens enunciatum: *cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisi* tali verbo quale *perrepsit* vel *pervenit* vel simili nos hic carere posse negamus. — **Iu. 93, 6** *pollicetur sese itineris periculique ducem]* in multis l. II gen vitiosa scriptura *ducem itineris periculique nihil esse docet* invenitur, ad quem locum Gruterus adnotavit: ‚quam scripturam cum affirmet Popma haerere concorditer in omnibus mss. codd., prodit mss. illos haud dignos nuce cassa, certe primitus impressis inquinatiores'. — **Iu. 94, 1** *Ceterum illi qui escensuri erant]* cuius sincerae lectionis vestigia P^1 modo et g^2 praebent, reliquis varie conruptis in *qui centuriis erant* vel

qui centuriis praeerant; sed illud quoque quod v. d. Putsche (Philol. XVI vol.) coniecit: *seculuri*, conruptelis adnumerandum erit. — **Ibid.** *uti prospectus nisusque per saxa facilius foret]* quod extat in 9 l. II gen. *facilior* vel *facilis* minimi aestimaveris. — **Iu. 97, 2** *ipsique Mauro pollicetur]* pro *Mauro* plerique recent. libri *Boccho*, scilicet quod magis perspicuum est. — **Iu. 100, 1** *dein Marius uti coeperat in hiberna propter commeatum . . . .]* lacuna quae est in I gen. libris, in recent. ut sententia postulat vel verbo *profectus est* vel *proficiscitur* vel *it* expleta est. — **Iu. 100, 4** *neque secus atque iter facere, castra munire]* Ut saepissime iam vidimus, hoc quoque loco a librariis, scriptoris verba non plane intellegentibus, et eis quidem II gen., novata est lectio ‚atque iter faceret'. — **Iu. 103, 2** *tum rursus Bocchus feliciter]* sic omnes libri exhibent, nisi quod p^3: *flectitur*, quam veram esse Sallusti scripturam Dietschius aliique editores censuere; sed tamen ut nobis videtur similiter librari coniectura habenda est atque supra Iu. 93, 4 *perrepsit* in p^5. Et recte quidem Cortius et Kritzius verba *feliciter* et *feliciter erga Romanos* nihil nisi glossemata esse iudicant, quae una cum illo *flectitur* eicienda sint.

Perlustratis igitur omnibus fere locis quibus in recensenda librorum II gen. auctoritate aliquid momenti tribui potest, quamvis eum qui accuratius adnotationes criticas denuo investigaverit, etiam plures huc pertinentes locos eruere posse non negemus, contendamus nullos nisi similes illorum et a quibus idem efficiatur, iam nunc constare videtur, plerasque librorum hui. gen. varias scripturas, dum modo antiquiores libros et imprimis cod. m (de quibus infra disputabitur) exceperis, sine dubio ex libidine librariorum et nonnunquam contra mentem scriptoris verbis eius insertas esse, paucae, quibus species integritatis vix abiudicari possit, ut Ca. 8, 4 *qui fecere,* si cum reliquis conruptelis comparentur, quin eisdem librariis auctoribus debeantur, dubium non esse.

II.

Sed in recensendis alterius generis Sallustianorum librorum lectionibus eos locos e quibus tota controversia orta est consulto adhuc neglեximus, quippe quos hoc ultimo loco in unum conlectos accuratius tractare praestet Sunt vero additamenta illa graviora et talia quidem qualia qui **simplici atque integro iudicio utitur Sallustio abiudicare nequeat, quamvis in antiquioribu slibris** e t p r i o r i s **et** a l t e r i u s g e n e r i s nullum eorum vestigium servetur: Ca. 5, 9 ***atque optima.*** — Ca. 6, 2 ***Ita brevi multitudo diversa atque vaga concordia civitas facta erat.*** — Iu. 1, 5 ***ac perniciosa.*** — Iu. 21, 4 ***de controversiis suis iure potius quam bello disceptare.*** — Iu. 44, 5 ***muniebantur ea neque.*** —

Quae additamenta cum Rothius l. l. primus observasset, quominus libros in quibus insunt in tertium quoddam genus redigeret et conligeret, impeditus est ut iam supra vidimus inconstantia et varia illorum librorum indole. Nobis vero nunc investigandum erit, quomodo haec additamenta illis libris inlata sint quantumque auctoritatis, cum in nonnullis modo eisque recentioribus libris extent, toti alteri generi ex eis parari possit.

Ac primo quidem **Ca. 5, 9** ***ut paulatim immutata ex pulcherruma atque optuma pessuma ac flagitiosissuma facta sit***] verba ***atque optuma*** non solum in 9 l. II gen., verum etiam apud Augustinum de civ. dei II 18 leguntur, qui servavit totum locum, praemissis his: ‚ut eiusdem historici [i. e. Sallusti] verbis utar'. Quodsi illa duo verba ab omnibus nostris libris abessent, neque aliunde de eis quidquam compertum haberemus nisi ex loco Augustini, non dubito, quin, quisquis nostratium Sallustium ederet, ea in textum scriptoris reciperet, quia non solum eorum vix carere possis, sed etiam, dum incuria eius qui archetypum confecit facile excidere potuerunt, auctoritati Augustini qui verba veterum scriptorum diligenter red-

dere solet aliquantum hic credendum est. Quae si concedis, optimo iure fieri potuisse contendo, ut medii aevi librarii qui scripta Augustini summo studio ac veneratione lectitabant, eadem iam ante haec IV vel V saec. ratione adducti verba Sallusti conrexerint. Quin etiam formam illorum verborum si intentis oculis conspexeris, talem invenies qualis antiquae originis suspitioni minime faveat. Legitur enim *atque optima* tantum in p^3 p^6 g^4, *et optima* in p^5 g^5 γ, *ex optima atque pulcherr.* in s^2, *ex pulcherr. et optima* in s^1 r g^6, *optima* ad marginem adscriptum est in g^7. Itaque cum neque illa verba in antiquioribus II gen. codicibus velut m vel s, imo ne in g^2 quidem vel in l qui multis ubique additamentis et emendationibus laborant inveniantur, neque ei in quibus insunt libri alio unquam loco simili modo adversus reliquos consentiant, constare nobis videtur, a librario in scriptis Augustini volutato verba illa huic Sallusti loco adiecta esse.

Sed si qui hunc locum attigit Woelfflinus l. l. Philol. p. 524 sq. leviter et sine ulla dubitatione ita de tota hac re iudicavit: ‚Kurz, die zweite Classe zeigt in Gutem und Schlechtem einen merkwürdigen Zusammenhang mit Augustin, sie, zum deutlichen Unterschied von der ersten‘ tamen ubi ad singulos locos propius accesseris, tam multa quae W. de eis adnotavit conrigenda erunt, ut quod ille affirmavit plane evanescat. Ac Ca. 52, 20 *si ita [res] esset* vocabulum *res* non solum abest ab Augustini loco et nonnullis libris II gen. (ut W. contendit), sed etiam ab E, et in T a posteriore demum manu superscriptum est. [1]) — Ca. 2, 1 *igitur in initio* Paris. ed. 1841 Augustini (quam Woelffl. p. 527 laudavit), *initio* exhibet, omissa praepositione *in*. — Ca. 6, 3 *civibus moribus agris aucta* vocabulum *legibus* (pro *civibus*), quod, quanti

[1]) Ceterum Kviçala l. l. vocabulum *res* acute defendere conatur, quippe quod prisco Catoniani sermonis colori optime conveniat (cnl. Plaut. Most. IV 3, 40 haec res sic est, ut narro tibi) advocato simili orationis Caesaris loco Ca. 51, 40 *leges paratae sunt, quibus legibus* quam constructionem, a Caesare saepe usitatam, apud Sallustium excepto hoc loco nusquam invenias

sit faciendum, veteres interpretes Rivius Popma Gruterus Wassius multum iam concertabant, ne in uno quidem nostrorum libr. legitur, modo in Wassi membranis Reginensibus extitisse traditur de quibus nil compertum habemus; neque erat igitur, cur Woelfflinus id nunc laudaret. — (Ca. 5, 9 *paulatim immutata*; scriptura quae in libris g et p et apud Augustinum invenitur: *mutata* sine dubio librariorum neglegentiae attribuenda est.) — Ca. 11, 1 *propius virtutem*; dum *virtuti* extat in libris non solum II gen. (quod W. contendit), sed etiam I, in Paris. ed. Augustini *virtutem* (non *virtuti*) legimus, ex optimis codicibus ut editores testantur receptum; quod igitur in adnot. Dietschi restituas. — Ca. 26, 2 Hic quoque in ed. Paris. *deerant* legitur, non *deerat*, quod item a. W. omittendum erat, cum inter nostros tantum in M^2 (I ma) et s^2 sit. — Ca. 35, 1 verba *in magnis meis periculis* cur ab illo v. d. huic loco adiecta sint, plane non intellego. Denique admonere opus non est, quid de Ca. 51, 9 *quae victoribus conlibuisset* pro *conlibuissent* et de simili loco Ca. 16, 3 *torpesceret* pro *torpescerent* censeas, si contuleris quae supra ad Iu. 89, 7 adnotata sunt.

Posteaquam igitur demonstravimus, falsam esse Woelfflini opinionem, Augustini Sallustium, ut ita dicam, propius ad nostros codices alter. generis accedere, cum eis quoque quae paulo post v. d. disseruit plane consentire non possumus. Cur enim putemus, ‚mysticum aliquem hominem, rei criticae valde peritum, medio aevo arte ac ratione‘ ad hanc rem incubuisse, cum liceat simpliciter et naturae convenienter statuere, quemvis librarium vel possessorem Sallustiani codicis, dum modo paulo eruditior fuerit, verba nobilis et ab omnibus diligenter evoluti scriptoris pro virili parte emendasse et explicasse sive conrigendo sive adscribendis glossematis quae postea in textum inrepserunt; qua in re cum ecclesiasticarum tum grammaticarum rerum scriptores qui Sallusti aliorumque veterum verba saepe laudabant adsciscebantur. Et, quod ad Sallustium attinet, ex Dietschi apparatu critico (quamvis, sitne is in hac quoque re quam maxime integer et accuratus an non, iure dubitaveris) satis luculenta testimonia eius rei proferri possunt. Nam ad Ca. 25, 2 *psallere et cantare* in cod. P P^2 ad marg. adnotatum est: ‚*saltare* advocato

teste Servio'; itemque ad Iu. 14, 3 *sed ea si* in libro F adscriptum est: ‚Prisciani auctoritate *secundum*'. Quo loco idem vocabulum *secundum*, si in libro g^4 legimus, ex eodem potius Prisciano quam, quod facile quis suspicatus sit, ex antiquissima origine profluxisse, satis firme nos docet alius hui. cod. g^4 locus; nam Ca. 53, 1 pro *senatus* exhibet *senati*, adiecta in margine hac adnotatione: ‚omnes Sallustii libros hic mendosos esse, Prisciani auctoritate senati scribendum'. Similiter vero cum Iu. 61, 1 *quae ab se defecerant* inter cod. nostros tantum in g^7 et g^4 pro *ab se* extet: *ab rege*, hoc idem apud Priscianum I p. 104 traditur. Quis igitur dubitabit, quod Iu. 11, 2 *convenerunt* in libris g^6 (g^4?) et p^1 in *convenere* conrectum est, Prisciani auctoritati id attribuere, qui laudans hunc locum *convenere* scripsit? Ceterum illum librum g^4 secundum verba Augustini quoque mutatum esse fortasse concludi potest et ex Ca. 55, 6 ubi omnes nostri libri *exitium* praebent, solus g^4 *exitum* (‚ex conrectura', ut Dietschius adnotat) quod idem Augustinus, et ex Ca. 5, 9 *atque optima*. Dignissimi deinde sunt qui memorentur ei loci in quibus antiquiores quoque libri simili ratione conrecti sunt; ut ad Iu. 22, 1 *sed is rumor clemens erat* in P^1 superscriptum est: ‚non nimius,' quod glossema facilius intellegimus oblato nobis loco Prisciani II p. 353 K.: ‚Hinc Sall. in Iugurtha: sed is rumor clemens erat pro non nimius' (indidemque certe lectio cod. s^2 *non nimius clemens* evasit). Tum Iu. 49, 1 *Iugurtha extenuata suorum acie consedit* in nostris libris legitur, sed apud Priscianum II p. 331 acie monte in insedit, cuius scripturae vestigium invenies in cod. P^3: *acie montem* v e l *in concedit* et in B *consedit* ad quod superscr. e. ‚vel in montem', itaque pro certo habemus in eo libro ex quo uterque horum descriptus est (cf. Dietsch. comm. p. 4) Prisc. verba superadscripta fuisse. Huc quoque pertinet scriptura *loquentia* quae Ca. 5, 4 *(satis eloquentiae)* et in libro s supra lineam adnotata est, et in p et g^5 ‚eraso *e*' legitur; praeterea autem apud Priscianum II p. 1020: Sallust. in Cat. ‚satis loquentiae' et apud Gellium N. A. I 15, 18: ‚Valerium Probum — — brevi antequam vita decederet, sic legere coepisse et sic a Sallustio relic-

tum affirmasse: satis loquentiae'.[1]) Similiter vero Iu. 19, 2 *nam de Carthagine silere* in omnibus fere nostris libris invenitur, nisi quod *tacere* in s[1] et apud Quintilianum atque Hieronymum est. Denique Hieronymo laudato restat, ut loci quem supra p. 5 attigimus Ca. 8, 4 *ita eorum qui fecere*, hic rursus mentionem faciamus, quia si vocabulum *ea* quod deest in libris p[3] s[1] l et ap. Hier. partim auctoritati Hieronymi partim ingenio librari, Sallustianae consuetudinis periti, cessisse statuimus, id plurium nunc adsensu comprobabitur. — Et satis quidem de his rebus nos disseruisse putamus, cum nunc nemo non intellexerit, singulis singulorum vel paucorum recent. librorum scripturis melioris speciei summopere esse diffidendum, etiamsi unde inrepserint non semper nobis perspicuum est; ceterum plura adhuc testimonia sine dubio eruentur, si libri nostri huius ipsius rei causa accuratius investigati erunt.

Quibus rebus demonstratis, si iam ad locos de quibus agi coeptum erat redimus, primum de Iu. 1, 5 *multumque etiam periculosa* dubitationem non admittemus, quin quae verba Augustinus in laudando hoc loco addidit: *ac perniciosa* Sallustio vindicemus; sed quod eadem extant in solo libro γ, non aliter explicabitur, quam quod ex Augustino translatae sint. Et postquam ea in re fides libri γ aliquantum deminuta est, subsequenti quoque loco subsidium demovimus: Iu. 44, 5 *neque muniebartur*; quae verba inter nostros tantum l et γ praebent et ,antiquissimus' Popmae codex, quamvis ea a Sallustio sic scripta esse luce clarius sit. Atque in hoc quidem loco tractando cum Rothius l. l. p. 132 libris Leid. G et Parcensi summam auctoritatem tribuendam esse censuisset, quia non solum hanc ipsam scripturam sed etiam nonnulla alia additamenta, quae in reliquis libris deessent, exhiberent, paulo post accuratius perspectis librorum scripturis, inritum id esse iussit (eod. l. p. 630), cum illa verba non in Leid. G et Parcensi, sed in Leid. C et antiquiss.

---

[1]) Frontoni, subtili Sallustianae dictionis imitatori, haec scriptura incognita fuisse videtur; adferendum enim est praeter l. a Dietschio laud. etiam ed. M. p. 239 parum eloquentiae et sapientiae nihil.

quodam Popmae [1]) libro inveniantur. Ceterum accedit ad duos illos libros l et γ in quibus *neque muniebantur* scriptum est testimonium quoque Frontonis, a Dietschio adlatum; et quanquam quo tempore scripta Frontonis (excepto illo quod vulgo ei adscribitur ‚de differentia' verborum in quo nemo veterum scriptorum laudatur) ex oculis hominum ablata, plane evanuerint et ita a librariis ad conrigendos scriptores adhiberi desierint, firmo argumento probare nequimus, tamen circa VI iam vel VII saeculum p. Chr. n. id accidisse veri simile est, cum verba Frontonis a Sidonio quidem Apollinari et Martiano Capella Eusebioque et Cassiodoro laudentur, quae vero Ioannes Saresberiensis qui a. 1180 mortuus est ex Frontone memorata tradidit, non in ipsius scriptoris libris, sed apud Macrobium Sat. VII 3 in fin. legisse videatur (Schaarschmidt ‚Ioh. Saresberiensis in seinem Verhältniss zur klass. Litteratur' in mus. philol. XIV in enumerandis scriptoribus quibus Ioannes usus est ne verbo quidem Frontonem attigit). Ac cavendum est, ne quis ea in re in falsam spem erigatur conspecta adnotatione quadam Aldi Manuti, qui scripta grammaticorum, maxime Servi, in recensendo Sallustio diligenter pervestigavit et ad emendanda illius verba convertit. Is enim cum ad alium locum Ca. 25, 1 *viro liberis satis fortunata* adnotasset: ‚sustuli particulam *ac* testimonio Frontonis adductus', in eundem errorem incidisse videtur quo plerique illius temporis viri docti implicati erant (et nuper etiam A. Maius in editione Frontonis Mediolanensi) quippe qui Arusiani Messi ‚Quadrigam sive exempla elocutionis' Frontonis esse iudicarent; qua de re vide Niebuhrium in ed. Front. Berol. p. XXXI.

Ceterum fortasse dubitemus licet, an ille liber palimpsestus, ab A. Maio repertus, quo tempore interiit solus et ultimus omnium Frontonian. codicum fuerit qui tunc extiterunt; facile enim ut videtur fieri potuit, ut in bibliotheca aliqua monachorum recondita posterioribus

---

[1]) At Gruterus iam ad hunc locum adnotavit: Adeo ut putem codicem eius [Popmae] antiquissimum nihil habere praeter nomen.

quoque temporibus Frontonis codex servatus sit ex quo librarii passim nonnulla verba in Sallusti scripta transtulerunt. Quae qualiacunque sunt, certe ratione illa Aldi Manuti, qua scripta grammaticorum in usum Sallusti convertit, firmatur sententia nostra, illa verba, de quibus agitur, vel ex Frontone vel ex loco alicuius scriptoris adhuc nobis ignoto derivata esse. Quae sententia quanquam firmis argumentis caret et tantum coniectura nititur, tamen ut ad eam accedamus, cum parva illorum librorum auctoritate tum similibus quos laudavimus locis iure adduci nobis videmur. Et fortasse exiguam nostrae de hoc loco sententiae comprobationem haurire licebit ex adnotatione quadam Burnoufi, qui verba *neque muniebantur* in libro Parisino XIII saec. ad marginem adscripta invenit, cf. Dietschium comm. p. 7.

Multo vero difficilius erit, certum iudicium facere de hoc loco: Iu. 21, 4 *velle et censere eos ab armis discedere, de controversiis suis iure potius quam bello disceptare, ita seque illisque dignum esse.* Enuntiatum enim *de controversiis — disceptare* modo in libr. σ et Leidens. G nonnullisque aliis de quibus nihil compertum habemus inter verba scriptoris extat; in libro g^2 et μ ad marginem adscriptum est. (Erlangensem quoque hoc loco mancum esse, Rothius l. l. p. 630 narravit, itaque Dietschi adnotatio critica conrigenda erit.) Sed etiamsi nulla res praesto est, quae in investiganda origine huius additamenti nos adiuvet, neque ab ullo omnium quos novimus grammatico laudari videtur, tamen qui integro iudicio et ipsa haec verba et illa quibuscum cohaerent consideraverit, quin Sallusti sint minime dubitabit Dietschiumque hoc loco vituperabit, qui sane debilibus argumentis (comm. p. 2) Kritzium, quod verba illa receperit, refutare conatur. Recte enim Kritzius simpliciter haec adnotat: ‚Elucet enim sine his verbis sententiam mancam esse, neque intelligi quo spectent postrema *ita seque etc.*‘ Sed si quis illa quae supra de reliquis locis demonstravimus, accurate perspexit ac rationem nostram comprobavit, hoc quoque loco, etsi fons ex quo verba illa derivata sunt parum adhuc nobis notus est, tamen eadem ratione utendum esse nobis concedet.

Restat, ut de loco Ca. 6, 2 *Ita brevi multitudo diversa atque*

vaga concordia civitas facta erat dicamus. Qui cum non solum in ‚codice vetusto‘ Popmae, in Vinar. 2 (Corti (XV saec.), in l., in libro Herbipolit., in Leid. G, sed etiam apud Augustin. ep. 138, 10 legatur, nobis quid de eo sentiamus dubium non est; sed multum viros doctos cruciaverant verba *apud eos* [i. e. auctores Romanos] *enim ita legitur* quae Augustinus huic enuntiato praemiserat, cum paulo ante et Sallustium et Ciceronem laudasset. Et extiterunt etiam qui a Cicerone potius (in libr. I c. 25 de republica) illa scripta esse censerent et plane idoneum quoque cui ea insererent locum se invenisse putarent; sed Rothius l. l. tam acriter ac luculenter ut nobis videtur demonstravit, cum Sallustio nostro tum ipsi huic loco illud enuntiatum vindicandum esse, adlatis permultis locis quibus Sallustius simliter ea quae antea longius disseruerat in brevem et generalem sententiam redacta, particula *ita* adhibita, repeteret, ut Dietschium totam hanc rem nihil curasse summopere miraremur, nisi iam antea cognovissemus, studio libris recentioribus repugnandi illum v. d. nonnunquam longius provehi. Libenter vero concedimus, hoc enuntiatum illo quo a Rothio aliisque editoribus positum est loco plane necessarium non esse omniaque facile intellegi posse, etiamsi absit; itaque toti huic loco non tantum momenti quantum prioribus attribuemus. Sed tamen verbo monendum erit, non esse cur saec. XIV et XV, quo tempore plerique illi libri conscripti sunt, eruditi homines eique librarii, aeque ac nostrates Sallustianae consuetudinis periti, in eandem coniecturam incidere potuisse negentur. Ceterum Orellius (ad Cic. de rep. I 25) Rothius Dietschius Woelfflinus praetermisisse videntur, apud Augustinum sive malo casu sive fide librariorum haec verba sic scripta esse: *multitudo dispersa atque vaga etc.*, quocum comparandus est locus Iu. 41, 6 ‚plebei vis soluta atque dispersa in multitudine minus poterat‘.

Quibus locis ita pervestigatis [1]) quis hoc non dederit, nonnulla

---

[1]) fortasse numero eorum attribuendum est Iu. 92, 2 *omnia non bene consulta modo, verum etiam casu data in virtutem trahebantur,* de quo supra in cap. I disputavimus.

eorum quae disseruimus parum adhuc liquere ac potius constanti ratione quam firmis argumentis teneri; sed tamen plus valere, constanti ratione uti quam innumerabilibus haesitationibus, hic illic emergentibus, iactari et in diversas partes trahi, praesertim in re tam incerta ac lubrica? Vidimus igitur, ut summam huius quaestionis breviter perstringemus, vera illa et integra Sallusti verba, quae pluribus locis tantum in recentissimis libris inveniuntur, neque universo alteri generi Sallustianorum librorum maiorem auctoritatem ac fidem parare, cum desint in antiquissimis et optimis huius generis, neque ad constituendum tertium genus codicum adhiberi posse, quia illi libri ut in aliis rebus ita in his ipsis additamentis vehementer inter se dissentiunt. Omnino vero mirum non est, librarios partim ipsorum ingeniis fretos partim scriptis grammaticorum aliorumque veterum scriptorum arcessitis ut lacunas supplerent operam dedisse; quicunque enim Iugurthae imprimis posteriorem partem obiter modo perlegerit, multitudine earum obstupescet; quarum nonnullas iam supra in cap. I disputationis commemoravimus, alias Dietschius in comment. cap. II conlegit.

III.

Sed cum iam in priore parte commentationis nostrae rem attigerimus dignissimam quae diligentius exploretur, quaestionem dicimus, qua ratione grammatici aliique inferiorum temporum scriptores in laudandis Sallusti verbis usi sint simulque quod commodum ex eis carpere liceat in recensendis codicibus Sallusti, nunc penitus in hanc rem intrabimus. Constat vero, saepissime florentissimi scriptoris verba a grammaticis proferri, quos qui huc pertineant locos primus diligenter et ratione quadam conlegit Dietschius in ed. Lips.

1859, auxit, Rothi apparatum nactus, Woelfflinus [1] l.l. p. 527, qui alterius generis Sall. codicum recte aestimandi magnam in eis spem reposuisse videtur. At quanquam in universum iudicanti omnes eiusmodi loci grata in constituendis muniendisque Sallusti [2]) verbis dona adferentur, tamen si quis auxilio eorum vel virtutem codicum recensere vel conruptos locos sanare vel subtiles verborum significationes firmare volet, tam diligenter optimos et antiquiss. libros horum scriptorum (nec qui illis carent omnino admittendi erunt) investigare et varias eorum scripturas perpendere illum oportebit, ut raro tantum eis quibus adhuc instructi sumus subsidiis certi aliquid perficere possit. Et tamen his omnibus provisis, quomodo hoc cavere poteris, ne ut Sallusti libros secundum grammaticorum scripta saepe conrectos esse iam antea demonstravimus, ita illorum scriptorum verba auctoritate Sallustianorum codicum per eruditos homines mutata sint?

Ceterum tota hac re primum quaerendum erit, laudaveritne scriptor verba Sallusti in universum cura quadam et diligentia an conscripserit memoriter; is enim, de quo hoc alterum statui poterit, omnino dignus non est quem accuratius hoc loco indagemus.

At ne quis miretur, quod in enarrandis singulis scriptoribus plerumque summas tantum rerum attigerimus, neu propterea levius ac neglegenter nos totam quaestionem tractasse suspicetur. Praestare enim nobis visum est, postquam ipsi omnes huc pertinentes locos animo lustravimus et perpendimus, ea modo quae alicuius facienda sint conligere, quam longam seriem locorum ab singulis scriptoribus laudatorum enumerare.

Priscianus [3]) igitur qui pluribus Sallusti codicibus accurate usus

---

[1]) sed nonnulla non satis accurate adnotavit.

[2]) Scilicet de Catilina tantum et Iugurtha tota hac parte comm. nostrae cogitamus.

[3]) Secundum edit. Hertzi hae fere adnotationes Dietschi conrigendae erunt: Ad Ca. 1, 1 addend. e. Prisc. II 370. — ad Ca. 5, 4 a. e. Prisc. II 217. — ad Iu. 85, 10 a. e. Prisc. II 360. — ad Ca. 2, 8 add. s. verba ‚indocti incultique'. — ad Ca. 11, 7 leg. e. ‚adepti sunt' et ‚victor. fecere'.

est, ut apparet ex loco ad Iu. 63, 3 a Dietsch. adnotato: ‚in quibusdam autem codicibus et *alitus* [pro *altus*] invenitur‘, in libris XVIII institt. gramm. triginta quinque fere locos ex Catilina, viginti sex ex Iugurtha attulit, ita tamen ut illi alteri magis cum nostrorum librorum scripturis consentirent quam hi. Itaque ut primum eos locos commemoremus qui a nostrorum lectione plane discrepant, adnotatur ad Iu. 53, 8 gaudium mutatur, dum nostri ‚gaudium exortum‘ exhibent[1]); — ad Iu. 63, 3 omnem aetatem pro ‚omnem pueritiam‘; — ad Iu. 95, 1 ‚sed quoniam tanti viri nos tempus admonuit‘ pro ‚res admonuit‘ cf. Ca. 5, 9; — ad Iu. 101, 6 ostentans pro ‚ostendere‘. — Quibus de locis longius hic disserere, parum nobis profuerit, cum nulla in libris nostris extet varia eorum scriptura. Itaque cum de Iu. 61, 1 ***ab rege defecerat*** et de Iu. 49, 1 ***montem insedit*** iam supra p. 22 dixerimus, alii nonnulli loci, in quibus verba Sallusti apud Priscianum non accurate laudantur, hi afferendi sunt: ad Iu. 17, 2 ‚de eis facile compertum narraverim, cetera quam paucissimis absolvam‘ Prisc. laudat sic: ‚cetera haud facile comperta narraverim‘. — ad Ca. 17, 2 ‚in unum omnes convocat‘ Prisc. omisit ‚omnes‘. — ad Iu. 11, 2 ‚postquam illi regio more iusta magnifice fecerant, reguli in unum convenere‘ omisit verba ‚illi — fecerant‘. — ad Iu. 14, 3 ‚secundum ea si desideranda erant uti debitis uterer‘ omisit ‚si desid. er.‘ — ad Iu. 39, 1 ‚haec ubi Romae comperta sunt‘, verba Prisc. ‚Sall. in Iugurthino‘ sine dubio in ‚Sall. in Catilinario‘ mutanda sunt, cum locus ille tantum ad Ca. 36, 2 quadret; cf. Woelffl. l. c. p. 529. —

— Ca. 2, 8 leg. e. ‚horum ego‘. — ad Ca. 12, 3 ‚in urbium mod.‘ — ad Ca. 36, 2 adnot. sunt verba Prisc. II 73 ‚haec ubi Romae conperta sunt‘, non ad Iu. 39, 1 ut Dietsch. fecit. — ad Iu. 45, 2 ‚adesset‘ et ‚cotidie‘ leg. e. — ad Iu. 84, 3 ‚plebi‘. — ad Iu. 87, 4 ‚sicut‘. — ad Iu. 10, 8 ‚vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite et observate talem hunc virum, imitamini virtutes eius et intuemini‘. — cf. quattuor locos quos Woeffl. l. c. p. 528 adiecit: ad Iu. 12, 3; 17, 9; 61, 1; 81, 2. —

[1]) Krehlius iudicavit, nostro loco cum Iu. 38, 10 ‚quia mortis metu mutabantur‘ confuso hoc mendum natum esse. —

Non magni vero aestimamus, ad Ca. 11, 3 a Prisciano ,nedum illi conruptis moribus' pro *,ne illi etc.'* laudari. Nam etsi idem in nonnullis quoque I et II gen. libris invenitur, tamen nihil esse nisi emendationem librariorum qua sententia magis explanetur, manifestum est; atque alio Prisciani loco (vol. II p. 99) in quo eadem Sallusti verba laudat, *,ne'* legitur. — Deinde verbis Ca. 56, 4 modo ad urbem modo in Galliam versus memoratis, Priscianus illud *,in Galliam versus'* Sallustio proprium esse contendit; sed tamen praep. *in* nos in solo libro E legimus; quo fortasse sententiae nostrae quam supra p. 22 sq. de conrectione librorum diximus novum argumentum adicitur. Ceterum I generis nostr. lib. auctoritatem augere videntur illi quos laudavit Priscianus loci: Iu. 48, 3 *,quae humi arido atque arenoso gignuntur'* et Iu. 45, 2 *,ac si hostis adesset'*; ceteri, excepto illo neque precibus neque gratia inpelli quivit quod Dietsch. ad Ca. 49, 1 *neque precibus neque gratia neque precio Ciceronem inpellere potuere* referebat, de quo supra p. 10 sententiam nostram protulimus, nihil praebent quod ad alt. genus codicum pertinere censeas.

Tum **Charisius** decem et septem omnino locis ex Catil. et Iug. laudatis parum adfert ad recensendos libros. Nam verba ,arrexit animos militum' quae Dietsch. ad Ca. 93, 3 *vetus certamen animos eorum arrexit* adnotavit, aut ex Sallusti historiis desumpta (dixit enim Charisius tantum ,apud Sallustium' neque illa ad reliquos locos in quibus *arrigere* invenitur: Iu. 68, 4; 84, 4; 86, 1 quadrant) aut memoriter laudata sunt. — L.l. ad Ca. 51, 1 *omnes homines, patres conscr.* facile fieri potuit, ut vocabulum *omnes* post ,homines' apud Charisium exciderit; sed neque hoc neque alio loco cum solis II gen. libris Charisius consentit, imo potius l. l. ad Ca. 36, 5 ,duobus senati decretis' [1]) cum tribus I gen., dum quod ad

[1]) Et ex his duobus locis Charisi et ex aliorum grammaticorum testimoniis nobis suspicari licet, Sallustium semper forma ,senati' usum esse. Praeterea enim ea duodecim locis a libris nostris servata est, (quibus adnumeravimus Ca. 38, 2 senati (supra us) in E propter bonam hui. lib. indolem) deinde Iu. 25, 4 in lectione ,in senatu' vestigium antiquae scrip-

Ca. 53, 1 adnotatum est: ‚senati decretum fit', in omnibus nostris ‚senatus' legitur. Restat ut mirum Charisi et Diomedis consensum in tradendo loco *‚alis alibi stantes ceciderunt, sed omnes tamen adversis vulneribus conciderunt'* ad Ca. 61, 3 not. memoremus, in quo verba *‚alis — sed'* apud nostros plane desunt.

Diomedes qui eundem fere numerum locorum ex Sall. Cat. et Iug. laudatorum praebet quem Charisius, tamen sive sua ipsius in verbis laudandis incuria sive librariorum neglegentia conruptus, a nobis plane omitti poterit. Videas tantum l. l. ad Ca. 9, 4 ‚qui contra inperium in hostem pugnaverant' ubi ‚in hostem' apud Diom. deest, et similiter ad Iu. 29, 5 ‚dein postero die quasi per saturam' deest ‚postero die'; — ad Ca. 18, 1 ‚brevissime' pro ‚verissime' scriptum; — ad Iu. 31, 26 *‚vindicatum'* apud eum adiectum est; — ad Iu. 38, 1 ‚per saltuosa loca recedebat' scriptum pro *‚per salt. l. et tramites exercitum ductare'*; itemque ad Iu. 72, 2 *interdum somno experrectus'* pro ‚excitus', ubi Diomedes hunc locum cum paulo priore (Iu. 71, 5) *‚Nabdalsa paulo post experrectus'* confudisse videtur, neque hercle hunc auctorem secutus Dietschius illud ‚experrectus' recipere debebat, praesertim cum ‚excitus' optime hoc loco ad totam sententiam quadret, cf. Iu. 99, 2 ‚ignoto et horribili sonitu repente exciti', quippe quod de homine, animi perturbatione agitato, dicatur, dum ‚experrectus' simpliciter somni solutionem significat. — Denique addantur Diom. verba ‚proxima Carthagini loca', cum Iu. 18, 11 in nostris libris tantum ‚proxima Carthagini' exhibeantur. —

A. Gellius in N. A. novem locos [1]) ex Catil. et Iug. laudavit,

---

turae fortasse premendum erit. Eorum vero locorum qui ‚senatus' exhibent hi tres variis de causis suspecti sunt: Iu. 41, 1; 15, 2; 112, 3. Itaque sex tantum loci restant qui hanc formam tuentur (quorum Iu. 24, 7 in indice ed. Dietsch. in 25, 7 mutandus est). —

[1]) verba ‚faenoribus copertus' a Gellio bis laudata: II 17, 7 et IV 17, 6 (‚Nam et Cato et Sallustius: faenoribus, inquiunt, coperti') quae ad Ca. 23, 1 ‚facinoribus copertus' adnotari solent, fortasse ad Sall. historiarum locum aliquem nobis ignotum referenda sunt. —

sed cum ed. Hertzi nondum critico apparatu instructa sit, non est nobis, unde varias eius scripturas accurate exploremus. Ceterum a nostris Sall. libris hi quattuor loci paulum abhorrent: l.l. ad Ca. 3, 2 ‚supra ea veluti ficta' deest e a; — ad Ca 23, 3 ‚minari etiam ferro' pro ‚minari interdum ferro'; — ad Ca. 11, 3 ‚infinita et insatiabilis' pro ‚infinita insatiabilis'; — denique l. l. ad Ca. 33, 3 ‚*saepe maiores vestri miseriti etc.*' in N. A. XX 6, 14: ‚Et idcirco importunissime, inquit [M. Valerius Probus], fecerunt qui in plerisque Sallustii exemplaribus scripturam istam sincerissimam corruperunt. Nam cum ita in Cat. scriptum esset: „saepe maiores vestrum" obleverunt et „vestri" superscripserunt; ex quo in plures libros mendae istius indoles manavit'. Cuius vocabuli vestrum in nostris ne vestigium quidem extat. — Solus vero quem in comparationem alter. gen. nostr. libr. converteris locus, laud. ad Ca. 5, 4 ‚satis eloquentiae', pro quo in libr. p^6 et g^5 ‚loquentiae' legitur (idemque apud Gellium), iam supra p. 23 qualis momenti sit et quomodo explicandus, memorabatur. Reliquorum Gelli locorum nullus quem in hac re respiciamus dignus est. —

Nonius Marcellus [1]) etsi magna copia locorum quos e veteribus scriptoribus attulit (reliquiarum enim priscae Romanorum tragoediae tres fere partes ex eo haurimus) excellit, tamen quod ad accuratam scriptorum commemorationem attinet, eum parva tantum esse auctoritate iamdudum constat; cf. ed. Roth. et Gerl. praef. p. XXIV: ‚A. Mai iudicium (ad Cic. de rep. 62 ed. Mos.) Nonius a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem ulcus est etsi parum Gerlachio probatur, tamen hoc dubitari non potest, quin multa a glossarum auctoribus adscripta, multa librariorum incuria vel aetatis iniuria mutilata atque truncata sint'. Cum vero omnes quos adhuc habemus Noni codices (quorum solus Genevensis X saec. [2]) conscriptus est) ex eodem archetypo

---

[1]) ad Iu. 85, 31 ‚ipse' in ‚ipsa' apud Dietsch mutandum est.

[2]) Ceterum Harleianum qui Londoni servatur IX saeculo nonnulli vindicant.

depicti sint, non nisi alium, suum ipsius fontem habentem quis invenerit, meliores lectiones nanciscemur; quod eo magis nobis dolendum est, quod ex Cat. et Iug. circiter 70 locos laudavit ex Historiis Sallusti circ. 80 (quorum unum, ad Hist. I 48, 19 adnotatum: ,si tanta torpedo animos obrepsit' si contuleris cum lectione Vaticani nostri: *oppressit*, Noni scripturam praeferes, conl. Iuven. sat. 9, 129 o b r e p s i t n o n i n t e l l e c t a s e n e c t u s). Atque inter 70 illos quos laudavit locos circiter 30 cum nostris libris consentire videntur, praetermissis parvis quibusdam scripturae mendis, sed maxima pars illorum certis signis neglegentiae notata est, ut l. l. ad Ca. 2, 2 ,tunc vero' pro ,tunc demum'; ad Ca. 2, 9 ,intenti' pro ,intentus'; ad Ca. 4, 2 ,strictim perscriberem' pro ,carptim perscribere'; ad Ca. 30, 3 ,M'tullius' pro ,Metellus'; ad Ca. 59, 5 ,in frontem — — in subsidio' pro ,in fronte — — in subsidiis'; ad Ca. 60, 2 ,praelia committi possent' pro singulari numero; ad Iu. 13, 3 ,sperabat' pro ,parabat'; ad Iu. 13, 5 ,contendere' pro ,contendit'; ad Iu. 15, 3 omis. v. ,vidit regis'; ad Iu. 46, 1 ,ubique — — acceptis' pro ,ubi quae — — accepit; ad Iu. 46, 7 ,cumque' pro ,ut cum' et ,dehinc' pro ,item'; — cf. ad Iu. 70, 1; 48, 3; 85, 10 et 29; 95, 4; 106, 3. At, quod plurimum nostra refert, semel tantum eandem atque nonnulli II gen. libri lectionem praebet: ad Iu. 13, 4 e x p r o e l i o f u g i t i n p r o v i n c i a m, quod idem in p g σ legitur, dum reliqui omnes *profugit*; sed quod inter verba simili initio syllaba *pro* excidit, ne magni aestimaveris. Ceterum cum Iu. 46, 1 nostri libri ,certior *Romae* factus' omnes exhibeant, commoda Noni lectio ,R o m a' memoranda est.

Sacerdotis (cf. Endlicher. analectt. gramm. et Putsch. p. 2623 sq.) locos ex Sallustio laudatos primus Woelfflin. Philol. XVII p. 528 conlegit; sunt vero decem et septem, quorum plerique pauca modo verba amplectuntur, sed cura et diligentia excellunt. Ac ne singulos longius enarrem, statuere sufficiet, inter omnes ne unum quidem ad II gen. nostr. libr. lectiones accedere, plures contra hos libros testari, ut ad Ca. 20, 6 ,mihi in dies magis animus accenditur', dum libri II gen. ,*magis magisque*' praebent. Monendum autem est, ne quis Dietschium secutus verba Sacerdotis: probitatem industriam

ceterasque artis bonas' ad Sall. Ca. 10, 3 ,*fidem probitatem ceterasque bonas artis*' referat, cum dubium non sit, quin Sacerdos hoc loco ad Iu. 1, 3 ,*probitatem industriam aliasque artis bonas*' respexerit. —

Atque idem fere quod de Sacerdote etiam de **Probo** grammatico dicendum est. Qui cum locos 19 (plus dimidia parte a Woelffl. l. c. adiecti sunt) exiguos quidem, sed diligenter ex Sallustio descriptos laudarit, similiter tamen nullam nostrae quaestionis ansam dedit. Ceterum Woelfflinum hic in errorem incidisse liquet, quod verba ,homo militaris' ed. Keil. p. 85 ad Ca. 45, 2 *militares homines* adnotavit, cum pertineant ad Ca. 59, 6 *homo militaris quod amplius etc.* —

Quintilianus septem locos ex Cat. et Iug. depromptos adfert, quorum unus l. ad Iu. 34, 1 *vulgus amat fieri* cum apud illum ira amat fieri scriptum sit, paulo a nostrorum lectione discrepat; qua de re Dietschius hoc censet: ,Quintilianum in his verbis vel memoria lapsum vel alius loci recordatum esse'. Et idem illi scriptori in verbis nam de Carthagine tacere satius puto quam parum dicere (quocum conf. Hieron. ep. 53, 8 ed. Par. ,tacere melius puto quam pauca scribere') accidisse putat, quae nos legimus Iu. 19, 2 *silere melius puto*, (similiter exhibet Apul. de mund. c. 24: ,non, ut ait ille, silere melius est, sed vel parum dicere'.) Ac recte ut videtur Dietschius illud ,*silere*' contra Kritzium defendit, cum ex verbis ,pauca scribere' apud Hieronymum itemque ex v. ,satius' apud Quintilianum plane eluceat, hos scriptores obiter hoc loco et ex memoria verba Sallusti laudasse. Etiamsi vero forte quis suspicatus est Hieronymi et Quintiliani temporibus in nonnullis Sall. libris ,tacere' inventum esse, tamen librum nostrum s^1 qui ,*tacere*' in textu, ,*silere*' in margine exhibet, ex illis antiquis libris originem duxisse, sine dubio negabit; qua de re vide supra p. 23 sq —

Fronto [1]) de quo A. Maius in ed. Rom. p. 315 adnot. 1 dixit: ,haud secius adhaeret Sallustio quam simius ille Arruntius apud

[1]) Apud Dietschium conrigenda sunt: ad Iu. 28, 5 ,laborum' pro ,laboris'; ad Iu. 44, 4 ,mori' pro ,more'; ad Ca. 5, 4 addendum est: Front. ed. M. Rom. p. 239: ,parum eloquentiae et sapientiae nihil'. —

Senecam ep. 114 aut quam Thucydidi futiles illi Graeci apud Lucianum' hoc ipso imitandi studio fidem quandam praestitit, se in eligendis Sall. libris et describendis verbis diligenter versatum esse. Et locum quidem l. ad Iu. 44, 1 ,neque muniebantur ea' iam supra p. 23 memoravimus; itemque ad Ca. 25, 2 ,viro liberis satis fortunata', cui hic addendum est, Niebuhrium in ed. Berol. ,viro et liberis' dare. Deinde ex verbis ,quique manu ventre pene bona patria laceraverat ,cognoscimus' illud ,*alia*' quod Ca. 14, 2 in multis libr. I et II gen. extat glossema esse. Alterius vero generis traditioni apud hunc scriptorem plane repugnat, quod l. l. ad Ca. 31, 3 ,*miserari parvos liberos rogitare*', ut in libr. I gen , sic apud Frontonem quoque omisso vocabulo ,*deos*' legitur.

Pervenimus nunc ad tres grammaticos, quorum scripta permultis et lacunis et contaminationibus medii aevi librariorum corrupta, tanta adhuc perturbatione affecta sunt, ut in adsciscendis eorum lectionibus aliquam spem vix ponere possimus. Sunt vero Arusianus Messus, Donatus, Servius; quorum etsi primo non omnis fides abroganda est, tamen de omnibus valet, quod van der Hoeven (de nonnull. loc. veter. script. Amstel. 1845 p. 35) dixit: ,Quantopere enim tales gramm. libri epitomatorum manu, ab alio post alium in brevius semper redacti fuerint, luculento exemplo testatur ipse hic libellus [Arusiani] qui in quinque codicibus quos Maius servavit, omnibus multo brevior et contractior legitur, quam etiamnunc extat in apographo Lindem. Neapolit. et Lugdun. Eandem sortem subierunt grammaticorum in veteres auctores commentarii etc'. Sed satis rursus constat, pleraque scripta grammaticorum et commentatorum et lexicographorum, quae nobis servata sunt, crebris et foedis interpolationibus ab ineptis hominibus impleta esse.

Itaque **Arusiani** ,exempla elocutionis ex Virgilio Sallustio Terentio Cicerone per litteras digesta' maiores nobis fructus praeberent, si de fide codicum huius operis dubitandum non esset [1]); im-

[1]) Legendum est apud Dietsch. ad Ca 36, 2 ,statuit idem'; ad Ca. 51, 21 ,eos' pro ,eum'; ad Iu. 14, 9 ,liberis tuis'; ad Iu. 36, 2 ,principem'; Praeterea Woelfflin. l. l. p. 528 novem locos adiecit. —

3*

primis cod. Gu. qui creberrimis scripturae mendis deformatus est. Nam pro indole ac ratione operis sui ex ipso Sallustio permultos locos Arusianus attulit: ex Cat. et Iug. nonaginta quattuor, ni fallimur. Quorum non solum paucos tantum in sanandis conruptis Sall. locis adhibueris, cum plerique in nostris codicibus optime traditi sint, sed etiam ut in ceteris quos modo vidimus scriptoribus, ita in hoc quoque nullos fere in alterius generis commodum convertere poteris, nisi forte ad Ca 24, 3 ‚primum' pro ‚primo' vel ad Ca. 51, 4 ‚consuluerunt' (in 𝔅 et 11 l. II gen) pro ‚consuluerint' illi favere putes. At non raro prioris gen. lectiones firmari docent nos l. l. ad Ca. 10, 5 ‚aestimare'; ad Ca. 11, 1 ‚propius virtutem'; ad Ca. 25, 2 ‚viro liberis'; ad Ca. 47, 3 ‚decernit — — uti abdicato'; ad Ca. 51, 4 ‚quae reges'; ad Ca. 59, 6 ‚quod amplius annos triginta'; ad Iu. 7, 4 ‚Romanis'; ad Iu. 49, 2 ‚belli melioribus'; ad Iu. 79, 2 ‚pleraque Africa'. —

Donati [1]) deinde scripta cum quali adhuc condicione circumferantur in hanc nostram disputationem arcessiri omnino nequeant, tamen e re erit, eos enarrare locos ad quos restitutis tandem quam maxime illis commentariis respicere opus est; quorum potissimi hi sunt: ad Ca. 2, 8 ‚vitam transegere'; ad Iu. 31, 14 ‚quos eadem odisse et eadem metuere in unum coegit', cui loco in nostris libris adiectum est *‚eadem cupere'*, in 𝔅 g²: *‚idem cupere'*, qua scriptura hoc ultimum membrum enuntiati multo magis in suspitionem vocari nobis videtur quam illud ‚eadem metuere' quod Dietschius eiciendum censet. Deinde ad Iu. 10, 1 ‚parvulum ego te'; ad Iu. 7, 4 ‚qui tunc Romanis imperator erat'; ad Ca. 52, 27 ‚ne ista vobis mansuetudo et misericordia'; de l. l. ad Iu. 1, 3 ‚alias bonas artes' et ad Iu. 12, 5 ‚occultans se in tugurio mulieris' iam supra in prima parte commentationis disputavimus. —

---

[1]) Secundum Terenti ed. Lindenbrog. Par., quam maxime adhuc sequi decet, apud Dietsch. conrig. sunt: ad Ca. 15, 5: ‚Eun. V 4, 21' pro ‚V 5, 1'; ad Ca. 52, 27: ‚Andr. V 4, 36 ne ista'; ad Iu. 12, 5 ‚reperiretur' pro ‚reperitur'; ad Iu. 49, 4 ‚cum exercitu conspicitur'; ad Iu. 110, 4 ‚nunquam redditam tibi'. — Apud Woelffl. l. c.: ad Ca. 25, 3 potius Ser-

Servi[1]) tandem commentarios, quorum integritas iam pridem a doctis viris in dubitationem vocabatur[2]), Petri Danielis editio Virgiliana breviores quidem et purgatos ut videtur secundum codicem Fuldensem vel Cassellanum excussit et ipsa adhuc carere non possis, sed mirum quantum absit, ut plane ei credere liceat[3]). Nihil aliud igitur nobis restat, quam ut illos locos perspiciamus, qui auctoritate cod. Cassellani firmati sunt (vide Bergk. ‚Servii Cassellani partt. I V Marb. 1843—45'); sed cum Bergki descriptio nihil amplius contineat, quam adnotationes Servi ad Aen. I 1—48; 139—150; II 1—104; 243 – 259; 360 – 602, scilicet pauci tantum loci illis comprobantur: ad Ca. 15, 5 ‚foedi oculi'; ad Iu. 17, 5 ‚coelo terra'; ad Iu. 31, 20 ‚vos autem' [Dan. ‚nos']; ad Iu. 31, 10 ‚incedunt per ora' [deest ap. Dan.]; ad Ca. 52, 2 ‚longe alia mihi mens'. Quae cum ita sint, ut ad singulos locos quos Servius ex Sallustio laudavit propius accedamus, nihil nos hortatur.

Inter scriptores rerum ecclesiasticarum, qui Sallusti opera diligenter lectitabant eiusque verba saepe laudaverunt, **Augustinus** primus nominandus est. Et quanquam accuratam et lectionum varietate instructam editionem omnium eius operum nondum habemus, (Dombardi ed. libr. de civ. dei nuper prolatam nancisci non poteram) tamen illi qui opera eius Paris. 1841 in lucem edidere, critico in-

---

vio ad Virg. Aen. VI 525 attribuendus esse videtur; ad Ca. 36, 4 iam ad Iu. 41, 1 a Dietschio adnotatus est; ad Ca. 37, 3: Ter. p. 467 [i. e. ed. Par.] = Phorm. II 3, 11 (‚et malos'); ad Ca. 53, 1: p. 373 = Hec. III 2, 22 ‚decret. senat.'; ad Iu. 60, 1: Ter. p. 498 (non 496) = Phorm. V 8, 71 ‚alter alteros'. —

[1]) cf. Thilo, ‚Beiträge zur Kritik der Scholiasten des Virgil' in mus. philol. XIV et XV — et Th. Mommsen. ibid. XVI vol. —

[2]) cf. Burmanni praef. ad ed. Virg.: ‚non enim farraginem tantum habemus scholiorum eius ex antiquioribus interpretibus compilatam — — sed et ex recentioris aetatis interpretibus multa adiecta et interpolata sunt etc.' —

[3]) Burm. l. l.: ‚codicem suum [sc. Fuldensem] non satis diligenter excussisse P. Danielem saepe viri docti questi sunt . . . . prioris tamen editionis maculas ingenti numero auxit altera Genev. 1636 etc.' —

genio non plane destituti fuisse videntur [1]) ut apparet ex adnotationibus ad nonnullos locos: de civ. dei I 5 (ad Ca. 51, 9) ,collibuisset' secundum optimos libros et contra priores editores se restituisse adfirmant; et similiter ad Ca. 11, 1 ,virtutem' et ad Ca. 54, 5 ,eo illum magis'. Interpolationes quoque, quibus priores editiones (imprimis ea quam curaverat I. L. Vives) foedatae erant, quam maxime ab illis eiciebantur, cuius rei exemplum praebent l. l. ad Ca. 6, 3 ,bello [eos] tentare'; ibid. ,[longe] a periculis aberant' et sim. Ceterum omnes locos qui cum altero genere n. l. consentire videntur, supra p. 20 tractavimus. —

Tum **Lactantius** tres modo et nullius momenti locos ex Sall. Cat. et Iug. commemoravit [2]) nec plura fere praebet Isidorus, de quo Dietschius nonnulla falso adnotavit. [3]) —

Hieronymus tandem, qui hoc agmen claudat, cum decem locis Sallustium laudaverit (totidem vero aliis verba Sall. tantum imitatus est), hoc uno ad Ca. 8, 4 ,eorum enim qui fecere' cum tribus II gen. libris consentit, qua de re p. 23 diximus.

Itaque postquam in omnibus quos exploravimus scriptoribus nulla paene vestigia repperimus quibus ad statuendam priorem originem alterius generis libr. perducamur, reliquos celeriter praeterire licebit. Sunt vero duo loci apud Macrobium (ad Ca. 25, 2 et Iu. 6, 1) quinque Senecae (ad Ca. 1, 1; Iu. 10, 6; 14. 2; 37, 4; 51, 1), duo apud Festum (ad Ca. 36, 5 et Iu. 29, 5) qui verba quidem Sallusti quodammodo firmant, nobis vero nunc nihil prosunt; et idem quoque de locis apud scholiastas et inventis iam et adhuc reperiendis iudicandum erit.

---

[1]) Praeter ea quae iam supra p. 20 adnotavimus apud Dietsch. corrigenda sunt: ad Ca. 5, 9 ,ut eiusd. hist.'; ad Ca. 11, 6 ,mirari ea'; ad Ca. 51, 9 ,pueros div.'; ibid. ,caedem incendia': ad Ca. 53, 2 ,libuisse se'; ibid. ,magnitudine sui'; ad Iu. 17, 3 ,altera — tertia — parte'. —

[2]) ap. Dietsch. leg. e.: ad Ca. 8, 1 — ,Lact. instt. div. III 29, 8'. —

[3]) ad Ca. 6, 1 ,urbem Romam — — condit. atque habuere — — et cum iis' legitur ap. Isid. p. 527 ed. Par.; ad Ca. 6, 6 ,patres filios suos, ita illi rem publicam habebant [alii: alebant]'; p. 349 — ad Ca. 11, 3 ,quod avaritia neque copia — — minuitur'; ad Iu. 18, 1—7 ,Numidae — — Herc. inter — — maris'; ad Iu. 78, 3 ,haereant'. —

Satis autem ex illis quae modo de singulis scriptoribus disseruimus apparuit, spem illam quam nonnulli in hac re posuerint vanam fuisse, neque alteri generi libr. nostr. nullum ex eis praesidium oriri multis adhuc verbis demonstrandum erit.

IIII.

Metuendum ergo nobis est, ne plane supervacaneum videatur, si confectis iam illis disputationibus alterius generis virtutem ultimo iudicio examinare instituemus. Et Rothius quidem l. s. l. putaverat, librum 𝔙 (Vatican. 3864 saec. X qui orationes tantum et epistulas ex Catilina et Iugurtha nec non ex Historiis decerptas continet cuiusque similis est liber 𝔅, Bernensis de quo v. Woelfflin. l. l. p. 154) quem ex vetustiore et magis sincero fonte quam reliquos nostros libros derivatum esse constet, ad confirmandam alt. gen. auctoritatem esse advocandum. Sed iure iam Woelfflinus nihil huic rei tribuit. Postquam enim (l. l. p. 526) demonstravit, multis locis librum P secundum illum 𝔙 vel similem antiquissimum codicem conrectum et hac via ac ratione integras scripturas in aliquot prioris generis librorum partes (nempe orationes et epistulas) insertas esse, qua re deceptus fortasse quis in reliquis quoque partibus, ut nimium huic generi crederet, adduceretur, mox concedit, singulas libri 𝔙 lectiones etiam in codices alterius generis inrepsisse, sed incognito qua via id factum esset. Nos vero non dubitamus, quin duae in ea re viae patuerint, quarum altera arta I et II gen. librorum cohaerentia, quam nemo iam negare poterit, effecta sit, altera librariorum opera, ipsos II gen. libros secundum illum 𝔙 vel similem conrigentium. Cuius rei indagatio multo simpliciorem ac faciliorem quam expectaveris se praestabit, si modo cognita iam nobis menda et conruptelas II gen. praetermittemus.

C. 20, 2 *ni virtus fidesque nostra spectata mihi foret]* in 𝔙 et 9 l. II gen. legitur, in reliquis *forent;* sed quam saepe in libr. nostris singularis et pluralis numerus inter se mutati sint, videas supra p. 16. Tamen hoc loco libri 𝔙 scriptura recipienda erit. Disseruit enim Kritz. ad Ca. 10, 2 de consuetudine Sall., pluribus nominibus verbum singulari numero apponere. — **Ca. 20, 6** *ceterum mihi in dies magis magisque animus accenditur]* sic restituendum est secundum librum 𝔙 conl. Ca. 5, 7 ,agitabatur *magis magisque* in dies animus' et Iu. 7, 6 ,*magis magisque* eum in dies amplecti'. Ac hic quidem nonnulli libri II gen. cum 𝔙 consentiunt. — **Ca. 33, 2** *neque cuiquam nostrum]* in plurimis libr. legitur; in 𝔙 p g^4 ,neque nostrum cuiquam'. — **Ca. 51, 4** *male consuluerunt]* in 𝔙 et 11 l. II gen. pro ,consuluerint' quod mendum satis iam nobis cognitum est. — **Ibid. §. 10** *non permovet]* pro ,permovit' in 𝔙 p s^1 g, supra lineam in P^2 P^4, ad marginem in P (cf. Woelffl. l. c. p. 526). — Verbi *accendit,* ut paulo post legitur in 𝔙, vestigium extat tantum in m^1, in P^1 est *accendet.* — **§. 12** *Qui demissi in obscuro vitam habent]* lectio *agunt* ex 𝔙 et 𝔅 (cf. Woelffl. l. c.) in libr. I et II gen. inrepsit. — **§. 22** *at aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi];* quod falsum est: ,*de* condemnatis civibus', in 𝔙 et nonnullis l. II gen. invenitur. — **§. 27** *ex rebus bonis]* praebent 𝔙 et permulti I et II gen., alii: *ex rebus domesticis* quae lectiones a librariis nonnunquam altera alteri superscriptae sunt. — **Iu. 14, 1** *vos affinium loco ducerem]* sic 𝔙 et M^2 p^3 p^5 m^1; alii ,in affin. locum'; sed omnino hic locus vehementer turbatus est. — **§. 13** *nos uti per otium tuti sumus]* 𝔙 et 𝔅 ac nonnulli II gen.; reliquos omnes ,simus' exhibere, ex silentio Dietschi sane non satis certe suspicatus sis; ceterum cf. p. 16. — **§. 18** *ne societates neu foedera nova acciperemus]* Sic solus 𝔙 et g^2 l r, reliqui *ne foedera.* Quod vero ad librum g^2 attinet, in ipso hoc libro facillimum erit demonstratu, quam saepe alterius quoque gen. libri secundum 𝔙 vel similem codicem conrecti sint. Perspicias enim hos locos: Iu. 10, 1 ,in regnum meum' 𝔙 P g^2 l; Iu. 31, 4 ,potentiae factionis' 𝔙 g^2 g^6 s^2; Iu. 31, 14 ,idem cupere' pro ,eadem cup.' 𝔙 g^2; Iu. 31, 29 ,haut' 𝔙 P^1 m; in g^2 ad marg. adscript; Iu. 85, 10 ,ac' deest in 𝔙 g^2; Iu.

85, 13 ‚audire a u t legere' 𝔅 g^2 σ pro ‚et'. Iu. 85, 17 ‚item' pro ‚idem' 𝔅 P^1 m Naz. g^2 g^8 h. Iu. 85, 30 ‚ego meis plur. labori-
egomet
bus' sic plerique libri; ‚egomet meis' P^8 g^2 g^7; ‚ego meis' P; et quanquam Dietsch. de 𝔅 nihil hic protulit, tamen pro certo habemus, eum ‚egomet' praebere. Iu. 85, 31 ‚parvi id facio' 𝔅 g^2; reliqui libri ‚parum'; P supra lin. ‚parvi'. Iu. 85, 33 ‚praesidium' 𝔅 g^2, reliqui ‚praesidia'. Iu. 85, 42 ‚omnibus flagitiis' 𝔅; ‚flag. omn.' g^2 l; in reliquis deest ‚omnibus'. Ibid. deest ‚viri' in 𝔅 g^2. Iu. 24, 3 ‚incertum est' 𝔅 p^5, supra lin. P^4, reliqui ‚incertus sum'. Iu. 85, 1 ‚nam q u o pluris' multi libri; ‚quanto pluris' 𝔅 T et plurimi II gen., in P^1 supra lin. §. 2 ‚illam administr.' 𝔅 p^1 pro ‚illa'. §. 16 ‚maluisse' 𝔅 m^1 g^6 pro ‚voluisse'. §. 24 ‚fateor' 𝔅 p^1 s; reliqui ‚patior'. (§. 29 ‚pectore' 𝔅 𝔅 pro ‚corpore', in P P^1 superscriptum; de l. II gen. Dietsch. tacet.) §. 35 ‚nam cum' 𝔅 p s^1 g^5 g^3; reliqui ‚namque cum'.

Itaque si lectiones libri g^2 exceperis, nulla fere c e r t a vestigia invenies, quibus fretus contendere possis, totum alterum genus in similitudine quadam et cohaerentia scripturae cum illo libro 𝔅 versari. Imo ex hac ipsa re, quod pauci tantum alter. gen. libri singulis locis ad codicem 𝔅 propius accedunt, plane elucet, non solum g^2, sed alios quoque libros alter. gen. secundum 𝔅 emendatos esse; ceterum iam ex adnotationibus ad librum P a Woelfflino prolatis suspicatus eris, librarios non ratione quadam et diligentia difficillimum quemque locum electum conrexisse. Neque omnino ea in re omittendum est, multa nos prohibere, ne in apparatu critico omnes res quas nos respicimus accurate semper a Dietschio indagatas esse credamus [1]); quibus denuo investigatis nonnulla fortasse magis dilucida fient.

---

[1]) Et nonnulla quoque, ut in tam difficili opere, aperte errata vel falso adnotata sunt; quorum nobis forte obvenere haec: Ca. 58, 13 M^1 bis positum. Iu. 13, 5 pro T^6 (?) fortasse T p^6 leg. cf. Iu. 14, 3 var. scr. ad ‚maiorem'.. Iu. 83, 1 ad ‚stultitia' fort. leg. P^4 pro P^1. Iu. 63, 6 p^6 bis pos. Iu. 10, 6 ad ‚fueritis' M pro 𝔐. — Iu. 18, 7 P^2 bis pos.; item g^1 s^2 Iu. 100, 4 ad ‚in portas'. Secundum Frotscheri ‚doctt. vir. comment. in

V.

Sed cum adhuc in nostra disputatione hoc alterum librorum genus, ne totam hanc difficilem quaestionem magis etiam turbaremus, tanquam universum et indivisum habuerimus nec tamen ei antiquioris originis satis firma argumenta vindicare potuerimus, nunc tandem monendum est, ex adnotationibus criticis sine dubio quemque intellegere posse, alterius generis non dico omnes libros, verum magnam eorum partem cum priore arte cohaerere. Quae res quamvis pro perturbatione et obscuritate sua certis finibus circumscribi non possit, tamen iuvabit, paucos huc pertinentes locos proponere, e quibus cuiuscunque intererit eam cognoscere liceat. Omissa igitur singulorum singulis locis librorum enarratione quae longa est nec tamen ullius commodi, locos quos facile auxeris afferimus hosce: Ca. 1, 7 ‚indiget‘ pro ‚eget‘. Ca. 11, 1 propius virtuti. Ca. 11, 8 ‚nedum‘ pro ‚ne‘. Ca. 14, 2 glossema ‚alea‘ in multis l. et I et II gen. Ca. 15, 4 ‚color eius‘ pro ‚ei‘. Ca. 19, 2 quam plures. Ca. 19, 3 in provinciam. Ca 25, 1 ‚cantare‘ pro ‚saltare‘. Ca. 58, 12 ‚vitam‘ pro ‚aetatem‘. Ca. 51, 39 ‚condemnatissimo‘ pro ‚de condemnatis summum‘. Iu. 10, 2 glossema ‚facta‘. Iu. 16, 3 fama fide. Iu. 29, 5 glossema

---

Sall.‘ conrigenda sunt: Iu. 29, 6 ‚cum parvo‘ Naz. et Comm. (apud Dietsch. ‚non parvo‘). Iu. 38, 10 Comm.: ‚agitabatur‘, Dietsch.: ‚tenebatur‘. Iu. 51, 3 ‚restituit. sic Pal., at Comm. constituit‘ Gruterus. Iu. 71, 5 ‚cognovit‘ Naz.; ad quod add. e.: ‚sed t superpicta inter lineas‘. — Iu. 83, 1 ‚aecerrime‘ Naz., non ‚acerrime‘. Iu. 73, 7 Naz.. ‚sed paulo decreverat ea res‘ superscriptum: ‚paulo illi senatus decio pro‘, Comm.: ‚sed senatus paulo post decreverat‘. Denique in Dietsch. comm. p. 5 leg. e : M Monac. c. l. 19472; ibid. p. 8 sub. n. 7. m ': verba ‚Item Iu. 102 — pergit‘ extinguenda sunt, quae ad hunc librum non quadrare, ipsi observavimus. Alia nonnulla facile inter legendum conrexeris. —

‚legem'. Iu. 16, 2 consulibus. Iu. 30, 3 ‚monere pop. rom. ne' pro ‚monere ne rem publ.' Iu. 30, 4 dicam quam. Iu. 31, 17 glossema ‚montem'. Iu. 40, 3 glossema ‚decreverit, voluerit'. Iu. 45, 2 circuire. Iu. 48, 3 humo arida atque arenosa. Iu. 58, 3 ‚si' pro ‚sin'. Iu. 65, 2 ‚satelliti' pro ‚satellites'. Iu. 85, 15 generosissimum. Iu. 91, 3 glossema ‚nocte'. Iu. 83, 1 ‚acerrime' pro ‚aegerrime'. Iu. 84, 4 glossema ‚copiam'. Iu. 93, 4 ‚perscribit' vel ‚perscripsit'. Iu. 96, 2 glossema ‚rapere'. Iu. 94, 6 adscendere. Iu. 14, 3 ‚sed' pro ‚secundum'. Iu. 24, 10 glossema ‚ut evadam' et multi al. l. —

Itaque postquam ex omnibus illis pervestigationibus codicum hoc cognovimus, maiorem virtutem propriamque originem toti alteri generi concedi non posse, breviter ad singulos praestantiores libros huius generis iam respiciendum erit; nam longior diligentiorque eius rei tractatio inconstantia et multitudine librorum ad inritum ceciderit. Atque hoc quidem constare nunc inter omnes credimus, in duas maxime partes libros alterius generis dividendos esse, quarum altera antiquiores ac bonae fidei codices continet eosque, ut a plerisque interpolationibus, ita ab integris quoque illis et necessariis additamentis liberos, altera recentiores codices, mox ratione quadam, mox inepte conrectos, quorum quae videtur praestantia non in ipsa librorum indole et origine consistit, sed arte ac consilio librariorum effecta est, conlatis undique verborum emendandorum subsidiis. Sed dum inter alios huius posterioris partis p^3 l γ r h σ nominandi sunt, in priore imprimis liber m, Monacensis 14777, X vel XI saec. conscriptus, eminet, quem optimis nostris codicibus adnumeramus. Recorderis enim locorum Ca. 31, 7 *postulare patres c. ne*; Ca. 36, 1 *Flammam*; Iu. 104, 1 *ad Uticam*, quibus solus veram lectionem exhibet. Deinde Ca. 25, 1 *viro liberis satis fortunata* deest ‚atque' in E m et apud Frontonem; Iu. 43, 3 *milites scribere* glossema ‚eligere', in omnes fere libros inlatum; in m tantum superscriptum est (quod idem ab E abesse Kritzius contendit, tacente de ea re Dietschio). Sed hunc quoque, ut ceteros antiquissimos codices, mendis nonnunquam ac lacunis foedatum esse demonstrant loci Ca. 6, 5. 11, 11. 47, 2. 48, 1. 54, 1. Iu. 86, 2. 97, 5; 98, 1;

qua re in similitudinem quandam et adfinitatem ceterorum Monacensium codicum prioris generis pervenit, id quod etiam praeter alios locos Iu. 43, 5 *itaque ex sententia* ex glossemate ,ex voto' autumare possis Quod vero liber m ex eodem archetypo derivatus est, atque antiquissimi prioris generis, testantur loci: Ca. 17, 1 *singulos* et Iu. 41, 1 *senatus* desunt in m et Nazar.; Iu. 68, 4 *equites in primo late* pro ,latere' in P[3] et m; Iu. 48, 3 *milia [passuum] viginti* deest ,passuum' in P[1] et m. Ca. 3, 2
a
sequitur P[1] m. Ca. 7, 7 *memorare possum* pro ,possem' P[1] m l; Ca. 11, 8 *temperarent* P P[1] m; Ca. 51, 12 *in obscuro vitam habent*
agunt
quo loco in archetypo ,habent' scriptum fuisse videtur; nam in P P[2] glossema ,agunt' in textum inrepsit; contra in m vera scriptura in glossema mutata est (quod non raro factum esse vid. in Ca. 7, 7
volebant putabant exercebat vexabat
,putabant' M F, ,volebant' 𝔐. Ca. 11, 1 ,vexabat' M, ,exercebat'
praelio bello domesticis
𝔐. Ca. 9, 4 ,bello' P[3], ,praelio' M[2]). Ca. 52, 7 ,ex rebus bonis'
bonis
𝔅 P P[1] aliique, ,domesticis' Comm. E m. Ca 39, 2 ,noxii' pro ,innoxii' P[1] m Naz. et alii. Ca. 52, 27 ,ad ignaros eius' 𝔅 E m P[1] (conr. in ,cives'); ,ign. cives' reliqui. Ca. 2, 1 ,transiere' E P[1] m. Ca. 14, 7 ,frequentabant' E et m (ma. I). Iu. 43, 3 ,eligere' deest in E, superscr. in m. —

Quibus rebus cognitis luce clarius est, hunc librum praestantiorem quidem quam ceteros alt. gen. locum tenere, illos vero non recte fecisse, qui auctoritate et virtute huius unius codicis varias scripturas et glossemata omnium recentiorum librorum tueri essent conati.

Sed deinde dignus esse quem memoremus videtur liber g[2], XIII saec. conscr., de quo Dietschius: ,set nonnullis locis is liber cum optimis et antiquissimis consentit'. Sunt vero eiusmodi loci: Iu. 50, 1 degredi P[1] g[2]. Iu. 15, 2 ,senatus' deest in Naz. et g[2], superscr. est in P[1] M m. Iu. 31, 17 ,montem' in mult. l. I gen. desideratur; supra lin. in m. g[2]. Iu. 61, 4 ,clam' deest in P g[2] h σ, supra lin. in P[1], ad marg. in m. Iu. 76, 3 duobus locis P E T g[2] σ. Iu. 85, 18 invideant et labori P[1] g[2] p[5]. Iu. 85, 32 ,quippe'
es is
deest in F et g[2], supra lin. in P[1] m. Iu. 94, 1 ,qui . . . cēsuri'

g², ,ascensuri' P¹, reliqui plerumque ,et centuriis'. In 99, 3 ,terror' g² P¹. Iu. 77, 3 ,gnave' pro ,nave' P¹ g² l p. — At tamen caveas, ne talibus locis adductus indulgentius de huius libri virtute iudices. Praeterquam enim quod supra p. 42 demonstravimus, quam saepe integrae lectiones ex cod. Vaticano in hunc ipsum librum transiissent, etiam alius antiquissimi codicis auxilio, Catilinam et Iugurtham continentis, conrectus fuisse videtur. At rursus tam variis foedissimisque mendis vitiatus est (quos hic enarrare non convenit), ut non procul a vero nos abesse putemus, si contendimus, bona quidem et antiqua origine (et simili fortasse illius m) hunc librum defluxisse, sed vel ipsum vel illum ex quo descriptus sit tot et tantis interpolationibus librariorum, qui nonnunquam sane elegantiore iudicio usi sint, deformatum esse, ut in universum omni fide nunc careat. Ceterum ex illis additamentis Sallustio non abrogandis (cf. p. 19) solum Iu. 21, 4 ***de controversiis etc.*** in hoc libro exhibetur et id quidem in margine.

Re igitur quam proposuimus in varias partes pervestigata breviterque comprehensis eis quae in singulis partibus disputationis explorata sunt, postremo in hanc sententiam inclinamus:

Repertis foliis archetypi (capp. Iu. 103, 2 — 112, 3 continentibus) quae olim exciderant, partim in nonnullis libris prioris generis (scilicet in eis qui ex archetypo descripti erant, dum deerant illa folia), nunc ut videtur plerumque deperditis, ampla illa lacuna a librariis statim expleta est, e quibus antiquis et restitutis codicibus (I gen.) maxima pars recentiorum librorum (II gen.) derivata esse consensu lectionum utriusque generis quem supra adumbravimus satis firme comprobatur, partim ex ipso archetypo, cum ita suppletus esset, nonnulli libri depicti sunt, alteram partem II generis amplectentes, ad quam codices m et g² referendi sunt aliique hui. gen. de quibus certum iudicium non suppetit. Itaque dum alterum genus librorum aliam originem quam prius non habet, ipsum potius in duo genera vel familias dividendum est. Sed diversitas horum quae olim fuerat eo magis paulatim obscurata et extincta videtur esse, quo pluribus conruptelis singuli libri qui posterioribus temporibus conficiebantur deformati sunt. Ac satis quoque hoc nunc

constat, nunquam fieri posse, ut, quod Rothius conatus est, tertium genus antiquissimae originis ex recentissimis et maxime conruptis libris constituatur, quia sincerae Sallustianae dictionis additamenta quibus Rothius nitebatur aliud alio in libro extant nec, cum ipsi hi libri in nulla fere alia re consentiant, aliter quam arte et libidine librariorum in illos libros inferri poterant [1]).

---

[1]) Licebit nonnullos locos quos in ed. Dietsch. emendandos esse censemus quosque nondum commemoravimus hic addere: Ca. 6, 2 *alii* alio more viventes] Dietschius; sed optimi libri: *alius*, cui favet constans Sall. consuetudo; cf. Ca. 22, 2 ‚alius alii tanti facinoris conscii'. Ca. 52, 28 ‚alius alium expectantes'. Iu. 53, 8 ‚alius alium laeti appellant'. Ca. 61, 3 ‚alis alibi stantes'. Et sane mirum quantis incriminationibus Dietschius, deteriores libros hoc loco secutus, in comm. p. 102 eos adortus est qui simplicem et apertam huius enuntiati sententiam defendunt, praesertim cum iam ex praecedentibus: ‚genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, *liberum atque solutum*' luce clarius fiat, de singulis hominibus, non de duabus gentibus dici. — Ca. 7, 7 memorare *possum]* restituendum est ex libr. P [1] et m pro ‚possem'. — Iu. 1, 5 *multumque* etiam periculosa] secundum P [1] m alios pro ‚multaque'. — Iu. 49, 2 aut rudes cum *belli* melioribus] sec. P P [1] et Arusiani testimonium; Dietsch.: ‚bello'. — Iu. 77, 3 imperata *gnave* fecerant] P [1], reliqui ‚nave, vel ‚naviter'. — Iu. 85, 27 quippe vera necesse est bene *praedicet, falsam* vita moresque superant] P [1] et alii, dum 𝔅 P et nonn. al. ‚praedicent, falsa' exhibent.—Iu. 99, 3 ‚ita cunctos strepitu clamore, nullo subveniente nostris instantibus [tumultu formidine] *terror* quasi vecordia ceperat'] ‚terror' P [1] a I ma. quod Dietsch. plane eiecit; rel. l. plerumque ‚tumultu formidine terrore'; Kritzius ‚formido'. Simile glossema invenimus Iu. 58, 4 ‚[clamorem vel] tumultum a tergo accep.'— Ca. 36, 5 tanta vis *morbi uti* tabes] sec. optimos l. I gen.; multi ‚morbi atque uti', sed ‚atque' est glossema nullius momenti; Dietsch. ‚morbi erat quae uti', quod languet; cf. hist. I 48, 9 ‚licentiam scelerum quasi tabem ad integros contr. cresc.' Ca. 32, 4 ‚tanta vis avaritiae animos eorum veluti tabes invaserat'. Hist. IV 26 ‚qui mos uti tabes in urbem coierit'. Ca. 10, 5 ‚contagio quasi pestilentia invasit'. Praeterea Iu. 14, 10; 18, 8; 72, 2; 85, 23. — Ca. 40, 6 *‚arcessit'*. Dietschius decies quidem ‚adcerso', ter ‚arcesso' exhibuit, sed praeterquam quod formam ‚accerso' nemo explicare poterit et tantum librariorum in scribendo consuetudini attribuenda est, plurimis locis nonnulla librorum testimonia hanc alteram